

luntas æterna, qua eam damnare volebat. Unde Gregorius super Job aperte ait (207): Multi voluntatem Dei peragunt; unde mutare contendunt, et consilio ejus resistentes obsequuntur, quia hoc ejus dispositioni militat quod per humanum studium resultat. Sciendum etiam quod omnibus præcipit facienda, et prohibet vitanda: licet non a singulis ita fieri velit: ideo ut justitiam suam omnibus ostendat, et ita boni per obedientiam, gloriam; mali vero inexcusabiles per contumaciam, sortiantur pœnam. Multa denique in utroque Testamento personaliter præcepit, atque vetuit, non quod ita fieri vellet, sed tacita ratione, quam diligens et pius lector suis quibusque locis Deo aperiante inveniet.

DIST. 48. *Aliquando homo bona voluntate aliud vult quam Deus.* — Postremo admonendi sumus, quod aliquando bona est voluntas hominis nolentis id fieri quod Deus vult, sine tamen pietatis. Unde August. loquens de Apostolo ait (208): Bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui volebant apostolum Paulum Jerusalem pergere (*Act. xxi*), ne ibi mala quæ Agabus propheta prædixerat pateretur, et tamen Deus hoc illum pati volebat. Aliquando etiam mala est voluntas hominis, idem volentis quod Deus, hoc est, utique propter finem impietatis: velut idem voluerunt Judæi quod Deus, scilicet Christum occidi. Dei tamen in hoc fuit bona voluntas, quia hoc pie volebat; illorum vero mala, quia impie.

Notandum autem est hic, quod tantum volebat Deus Christum occidi a Judæis; non autem quod

(207) Lib. vi Moralium cap. 11, super illud Job v, Qui apprehendit sap.

A Judæi occiderent eum, sicut Christus voluit quod prædixerat impleri a Petro: non autem voluit Petrum implere illud, alioquin voluisset se Petrum negare.

Illud etiam non indistincte intelligendum est, scilicet voluit Deus occidi Christum a Judæis, id est mortem a Judæis illatam eum pati, verum est; si autem voluit occidi a Judæis, hoc est, ut Judæi occiderent eum, falsum est. Vel ut melius videtur, dicendum est Deum voluisse Dominum occidi, et non ab aliquo, vel ab aliquibus, licet sine illis hoc fieri sit impossibile. Sicut vult aliquem pœnitere, nec vult illum omnino peccasse, tametsi hoc sine illo esse non possit. Si autem quaeritur utrum sanctis placere debuit Christum pati, dicimus utique, respectu liberationis hominis: sed nequaquam respectu sui cruciatus. Quem etiam quidam eorum abhorrescens, pietate non ambiguitate, quasi dubitando quaesivit: *Tu es qui venturus es, an atium expectamus?* (*Matth. xi*).

Item quaeritur si passio sanctorum martyrum nobis placere debeat. Et dicimus, utique, respectu coronæ percipiendæ sibi paratæ. Eandem tamen nolle digne possumus, qui eos declinare passionem, et effugere manus iniquorum compassione pietatis optamus. Pie ergo velle atque nolle possumus sanctorum passiones. Unde pium est flere Martinum, et pium est gaudere Martinum. Omnis igitur illa bona voluntas est, quæ ad rectum finem dirigitur, qui duntaxat ex zelo Dei, secundum scientiam pensandus est.

(208) In Ench. c. 101.

Finis libri de Trinitate, qui est sententiarum Bandini primus.

MAGISTRI BANDINI DE MUNDI CREATIONE ET HOMINIS LAPSU LIBER QUI EST SENTENTIARUM SECUNDUS

Πρωτον. — Postquam primo libro Dei vim ac naturam breviter et (quantum perspicit ac tradi ea ab homine potest) clare exposuit Bandinus, secundo hoc libro aptissima methodo suam inquisitionem transfert ad res a Deo conditas: ac primum quidem præmissa de rerum principiis disceptatiuncula angelorum tradit creationem, naturam, statum, lapsum, ordines ac ministeria: deinde mundi creatione (quæ sex dierum opere completa et distincta est) explicata, specialem de homine tractatum aggreditur, docens eum ad Dei similitudinem formatum, in paradysum translatum, et hic a muliere invidia diaboli seductum. Postremo occasione lapsus Adæ multa, de libero arbitrio, de gratia, de peccato tum originali tum actuali, aliisque peccatorum varietatibus, de septem capitalibus vitiis, de peccato in Spiritum sanctum, de venialibus peccatis doctissime Bandinus prosequitur.

DIST. I. *Unum esse rerum principium, non plura.* **D** ad mysterium divinæ unitatis atque Trinitatis per Platonem tria sunt principia, Aristoteli tria. — Quæ tenere noscuntur, quantum brevitatis utilitas pati-

titur, hactenus exsecuti sumus: Nunc ad considerationem creaturae pergamus (209). Scriptura igitur digito Dei edita in initio sui, Deum omnium quæ naturaliter sunt, præter seipsum Creatorem esse insinuans, ait; *In principio creavit Deus cælum et terram* (Gen. 1). Dicendo autem, in principio, et non, in principiis, dicendo etiam, Deus, et, creavit, philosophorum elidit stultitiam, non unum tantum, ut hic docetur, sed plura principalia rerum, sine principio esse arbitrantium. Plato namque esse tria cogitavit: Deum scilicet et exemplar et materiam; Aristoteles vero dixit duo esse: materiam et speciem, et tertium operatorium dictum. Mundum quoque dixit semper fuisse (210).

Quod catholicum est docet. Quid creator. Quid creare. Differentia Dei et angeli. Quare fecerit Deus rationalem creaturam. — Illis igitur reprobatis, Deum tantum unum principium, et Creatorem rerum confitemur. Est autem Creator, qui de nihilo, vel ex nihilo aliquid facit. Proprie enim creare, est de nihilo aliquid facere. In quo differt Deus faciens ab homine et angelo facientibus, quia quod ipsi faciunt, non de nihilo, sed ex aliquo faciunt. Quibus etiam aliquid facientibus, motus inest operationis, qui prorsus in Deo esse non potest. Nec enim motu, sed voluntate duntaxat, Deus operatur, ut vere dicatur, Deum facere, esse secundum voluntatem ejus aliquid noviter provenire. Cujus voluntatis tanta bonitas est, ut beatitudinis suæ, qua ad æterno, solus beatus est, alios ex tempore vellet esse participes, quam vidit et communicari posse, et minui omnino non posse. Sed quia ipsa participari non potest, nisi per intelligentiam, fecit Deus rationabilem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur.

Distinctio rationalis creaturæ. Quare et ad quid facta est rationalis creatura. Quare anima sit corpori unita. Denique distinxit eam in incorpoream, quæ est angelus, et in corpoream, quæ est anima, habens carnem vel corpus, ipsa est homo. Angelus igitur et homo propter bonitatem Dei factus est. Unde Aug. (211): Quia bonus est Deus, sumus. Factus est autem ad serviendum et ad fruendum Deo. Brevissime ergo ac recte interrogati, quare et ad quid facta sit rationalis creatura, dicimus, propter Dei bonitatem, et ad creaturæ utilitatem. Illud sane quod reperitur apud Augustinum: quod factus sit homo propter reparationem angelicæ ruinæ (212): non sic est intelligendum, quasi non fuisset homo factus, si non peccasset angelus, sed quia inter alias causas Deo notas, cum hominem fecit, hæc nonnulla existit. Quod si quæritur, cur animam corpori univit Deus, cum dignior videretur in sua puritate persistens, dicendum est quia voluit. Voluntatis

(209) Confer cum prima distinctione Pet. Lombardi in II. Sentent.

(210) Circa finem secundi de generatione et 8 physicorum.

A vero ejus causa quærenda non est, quia nulla est. Vel forte dicere audeamus, hoc ideo eum fecisse, ut in humana conditione exemplum exhiberet beatæ unionis, quæ est inter Deum et creaturam in vita æterna. Ne enim forsitan creatura putaret, eatenus Creatori uniri se non posse, quatenus eum tota virtute diligeret: visum ideo est, excellentissimam creaturam, scilicet spiritum, infimæ, hoc est, carni, quæ de limo est, tanta dilectione uniri, ut non valeat arctari ad hoc ut eam vellet relinquere. Unde Apostolus: *Nolumus exspoliari corpore, sed supervestiri* (II Cor. v). Vel ideo unitæ sunt animæ corporibus, ut in eis Deo famulantes, majorem mereantur coronam. Per hoc enim cum ipso, in quo servierunt corpore, angelicæ naturæ adæquabuntur in futuro, de qua nobis deinceps disputandum superest.

B DIST. II. *De natura angelica in speciali. Tempus angelicæ creationis.* — De angelica natura tractaturi, videamus quando creata fuit, et ubi, et qualis effecta, qualisque perfecta. De ordinibus quoque et de officiis, ac nominibus eorum, aliisque pluribus. Angelum vero ante omnem aliam creaturam factum esse constat, sicut scriptum est: *Primo omnium creata est sapientia* (Eccl. 1), quod de angelica natura necesse est, ut intelligatur, quæ sæpe vita, sapientia, et lux in Scripturis dicitur. Sapientia quippe Dei quæ ipse Deus est, increata est. Sed quomodo hoc est? Cum alibi Scriptura dicat: *In principio creavit Deus cælum et terram* (Gen. 1); et: *Initio tu, Domine, terram fundasti* (Psal. 111). Profecto, si initio, terram creavit, ante eam nihil factum est. C Quod si angelus primo omnium, tunc et ante terram factus esse probatur.

Quomodo primo omnium creata sapientia. — Ne igitur in tantis eloquiis aliqua adversitas esse videatur, videtur hoc tenendum esse, quod simul spiritualis et corporalis creatura facta sit. Unde Salomon: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (Eccl. xviii), id est, spiritualem et corporalem naturam. Inde etiam Aug. (213) per cælum et per terram spiritualem corporalemque creaturam intelligi ait, et hæc creata sunt in principio scilicet temporis, vel in principio, quia primo facta sunt. Tamen primo omnium creata est sapientia, quia etsi non tempore, præcedit tamen dignitate angelus. Vel primo omnium dicitur, non quantum ad essentiam, sed quantum ad formæ distinctionem. Spiritualis quippe natura in ipsa sui prima conditione distinctam creditur accepisse formam, quod non corporalis creatura, cum hoc sit Deus in sex diebus operatus. Sed informis et confusa, hoc est, sine formæ distinctione primum facta est. Unde secundum Græcos *καός* et *ελη*, chaos et hyle dicta est, hoc sane non temerarie asserimus, sed salva reverentia secretorum intimanus.

(211) In. I. I. De doct. Chr. cap. 13.

(212) Aug. I. xxii De civitate Dei c. 1, et Enchir. cap. 29.

(213) Au. super Genes. I. II. cap. 1.

Ubi angeli creati. — Proinde in cælo creati sunt angeli. Unde Dominus ait : *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem* (Luc. x) : ubi non accipitur cælum firmamentum, quod secunda die factum est, sed empyreum, hoc est, igneum, a splendore, non a calore dictum. Quod factum, statim angelis est repletum. Unde Beda (214) : Hoc superius cælum; quod a mundi volubilitate secretum est, creatum mox sanctis angelis est impletum, quos in principio cum cælo et terra conditos Dominus testatur dicens : Ubi eras cum me lauderent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? Astra autem matutina et filios Dei eosdem angelos vocat.

Sed si in cælo facti sunt angeli, quomodo dicit Lucifer : *Ascendam in cælum, et exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo?* (Isa. xiv.) Sed ibi cælum vocat Dei celsitudinem, cui æquari volebat. Et est sensus, ascendam in cælum, id est ad æqualitatem Dei.

DIST. III. Quales fuerint facti angeli. Angelos æquales creatos non esse. — Credendum quoque est, quatuor beneficiis a conditore et creatore perceptis, angelos fuisse creatos. Ut scilicet in essentia simplices, in persona discreti, in intelligentia rationabiles, in voluntate liberi, scilicet vel ad bonum vel ad malum declinandum statim facti existerent. Non est putandum omnes in his esse creatos æquales. Sicut enim nonnulla differentia in corporibus etiam secundum primam conditionem est, sic et in spiritali creatura multiplex est credenda fuisse differentia suæ conditioni congrua. Inde est quod Lucifer cæteris præstantior factus est. Unde Ezechiel : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* (Ezech. xxviii). Idem : *Abietes non adæquarunt summitatem ejus, platani non fuerunt æquales frondibus illius* (Ezech. xxxi).

In quibus angeli differant. — Differentes ergo sunt in naturæ subtilitate, et perspicacitate cognitionis, et voluntatis libertate. Ut qui tunc per naturalia bona alios excelebant, ipsi quoque per munera gratiæ eisdem præessent, dignitate excellentiores eisdem constituti. Qui vero minus subtiles et sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora gratiæ dona habuerunt, inferioresque constituti sunt, sapientia Dei æquo moderamine cuncta ordinantis. Nec tamen differens naturæ subtilitas infirmitatem adducit, vel minor cognitio sapientia ignorantiam ingerit, aut libertas inferior ullam cujusquam arbitrio necessitatem imponit.

Quomodo angeli sint boni creati. Quomodo justis. Mora fuit inter creationem et confirmationem. — Firmiter quoque tenendum est angelos creatos esse bonos, non quidem per usum liberi arbitrii, sed per creationis beneficium. Justos etiam non virtutis exercitio, sed innocentia naturæ. Tales quippe facti

sunt, ut peccare possent, et non peccare, si velent. Quod et fecerunt, alii cadendo, alii permanendo. Unde Genesis : *Omnia fecit Deus valde bona* (Gen. i). Naturam igitur angelorum fecit bonam. Moram aliquam etiam inter creationem et lapsum fuisse fideliter creditur, per id quod Augustinus dicit (215) : Angelus factus prius, statim a veritate se avertit, propria potestate delectatus. Denique dicendo prius, moram insinuavit. Item Origenes (216) : Sicut Adam et Eva non statim peccaverunt, ita et serpens aliquando fuit non serpens. Deus enim malitiam non fecit, quibus verbis post creationem boni etiam moram intercessisse affirmat. Porro inter creationem et confirmationem moram intervenisse constat. Unde Aug. ait (217) angelicam naturam primo cælum dictam esse, cum creabatur; postea vero lucem cum formata est, et ad Creatorem conversa, scilicet ad Deum laudandum : unde prius dictum est : *In principio creavit Deus cælum et terram. Deinde : Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux* (Gen. i), hoc est, confirmati sunt angeli.

At contrarium videtur quod Veritas dicit in Evangelio : *Homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (Joan. viii). Sed intelligendum est ab initio conditi hominis, cui mox facto invidit, ac seducendo præcipitavit in mortem. Vel ab initio, hoc est, post initium. Vel ab initio confirmationis, non primæ conditionis intelligas. Nec enim irreligiose potest dici geminum initium esse angeli, sicut gemina nativitas hominis.

Item ex Augustino opponitur (218), qui non frustra putandum dicit, ab ipso initio suæ conditionis diabolum cecidisse. Unde quidam in hanc malitiam non libero arbitrio flexum, sed in ea putant esse a Deo creatum, juxta illud : *Hoc est initium figmenti Dei, quod fecit Deus, ut illudatur ei* (Job xl), hoc est, diabolo, ab angelis ejus scilicet Dei. Sane hoc, secundum alios, se dixisse alibi aperit dicens (219) : Quod putatur diabolum nunquam in veritate stetisse, non sic accipiendum est, ut malus a bono Deo creatus esse putetur, alioqui ab initio non cecidisse diceretur. Non enim cecidit si talis factus est. A quo enim caderet? Factus ergo prius, statim a veritate se avertit, propria potestate delectatus, beatæque vitæ dulcedinem non gustavit : quam non utique acceptam fastidivit, sed nolens accipere amisit. Denique quod ex Job adducitur, hoc est, *initium figmenti Dei*, ita exponitur? ut non natura, sed corpus aereum signetur, quod tali voluntati aptavit Deus : vel figmentum dicitur ipsa Dei ordinatio, in qua eum etiam invitum fecit utilem bonis, vel ipsius angeli factura, quia licet præsciret Deus eum futurum malum, fecit tamen providens quanta bona electis ex illo produceret. Initium vero dicitur, quia præcedit anti-

(214) Super Genes.

(215) De Gen. ad lit. l. xii, cap. 23.

(216) Super Ezech. hom. 1, super illud : Vidi quasi spec.

(217) Super Genes. in l. i, cap. 2, 3, 4 et 6.

(218) Super Genes. l. xxi, c. 19 et 20.

(219) Aug., l. xi De Genes. ad lit., c. 23.

quitate et principatu malitiæ. Unde Job dicit : *Rex A* dicitur *inter omnes filios superbiæ* (Job. xli).

DIST. IV. *An angeli facti sint beati.* — Non autem fatendum est angelos fuisse factos beatos. De bonis enim prius licet diversa opinando alternaverit Aug., tamen postremo sic admonuit (220) : Dicere, inquit, de angelis, quod in suo genere beati esse possunt, damnationis vel salutis incerti : quibus nec spes esset, quod mutandi essent in melius, nimia præsumptio est. De malis autem aperte negat, dicens (221) : Quomodo inter angelos beatus fuit, qui futuri supplicii atque peccati præsciis non fuit? Quod ita probatur. Si enim præscivit, et vitare voluit, sed non potuit, fuit igitur miser. Et ita miseria peccatum præcessit, et non est secuta, quod falsum est, cum ex eo sit. Denique si potuit et noluit, stultus fuit, quod iterum falsum est. Scientes enim facti sunt angeli, quod essent et a quo essent, et cum quo essent, habentes etiam boni malive intelligentiam, habentes etiam dilectionem qua Deum et se diligenter, quæ non erat charitatis, sed naturæ, qua etiam dilectione possessa sine crimine amamus, ut equum, aut librum.

De confirmatione et lapsu. Perfectum multis modis dicitur. Integritas quid. Beata claritas quid. Summa perfectio. — Tenendum est autem, angelos secundum quiddam perfectos, secundum aliud vero creatos esse imperfectos. Quoniam quidem perfectum est aliquid secundum conditionem, ut puta cui nihil de jure conditionis deest, ut homo cum integer nascitur, secundum quod angeli perfecti facti sunt. Est et perfectum secundum profectum, cui scilicet, nihil de profectu deest. Quomodo angeli tantum post confirmationem, et sancti post resurrectionem perfecti erunt. Est et perfectum cui nihil defuit unquam nec deerit, quod est solus Deus. Prima igitur perfectio est naturæ conditæ, et dicitur integritas. Secunda naturæ glorificatæ, et dicitur beata claritas. Tertia est naturæ increatæ, et dicitur summa et universalis perfectio.

DIST. V. *De confirmatione stantium et lapsu cadentium.* — Denique libertate arbitrii utentes, quod libera potestas est et rationalis voluntatis habilitas, alii elegerunt bonum, et sunt ad Deum conversi, alii elegerunt malum et ita sunt a Deo aversi. Converti autem ad Deum fuit ei charitate adhærere. Averti a Deo fuit charitati invidere. Data enim fuit statibus cooperans libero arbitrio gratia, qua juvantur efficaciter bene velle et operari; et in eo perseverare, quod fuit ad Deum converti : Sane operante gratia non egebant. Ipsa enim est, qua justificatur impius, ut fiat pius. Illi autem mali non fuerunt, justificari igitur non egebant.

An aversio a Deo angelis malis sit imputanda. — Sed cum sine gratia ad Deum converti non poterant, putatur a quibusdam cadentibus non esse imputandum, quod non sunt conversi. Quippe nec illorum

culpa fuit, inquit, quod eis non est data gratia, quæ nulla præcesserat. Nos autem dicimus, nullam præcedentem culpam, gratiam impedisse, sed duntaxat, quæ in cadendo fuit. Potuerunt enim stare ut cæteri, cum nihil impediret ad standum, nihilque impelleret ad cadendum. Casus ergo manifesta culpa fuit, quare gratia non daretur.

De beatitudine stantium, et an eam meruerint. — Itaque confirmati, beati mox exstiterunt. Solet autem quæri, an beatitudinis præmium, aliquod præcesserit meritum? Quod quibusdam videtur, si non ex tempore, saltem causa, dicentibus sanctos angelos simul percepisse gratia meriti et præmii. Verum fidelius credendum putamus, meritum secutum esse, et tunc gratiam qua beate viverent, eos percepisse duntaxat; sane postea per obsequia Creatori jugiter exhibita, præmium ab initio perceptum mereri, ac meruisse.

DIST. VI. *Cadentium angelorum Lucifer fuit celsior.* — Cadentes autem statim sunt miseri effecti? Inter quos unus, quasi malitiæ caput, excellentior exstitit. Unde Job ait : *Ipse principium viarum Dei* (Job xl). Et Ezechiel : *Tu signaculum similitudinis plenus scientia et perfectione, decorus in deliciis paradisi Dei fuisti* (Ezech. xxviii). Inde est quod in Isaia Lucifer appellatur : *Quomodo, inquit, Lucifer, cecidisti, qui mane oriebaris?* (Isa. xiv).

Unde et quomodo ceciderunt. Dæmones nobis propinqui. — Ejecti autem de cælo empyreo ubi facti fuerant, in hunc caliginosum aerem ceciderunt. Unde Apoc. *Draco de cælo cadens, tertiam partem stellarum traxit secum* (Apoc. xii), quia Lucifer ille cecidit cum omnibus qui suæ malitiæ consenserunt, in hunc aerem. Unde Apost. : *Colluctatio nobis est adversus principes et potestates aeris hujus, et spiritualia nequitiæ, in cælestibus* (Ephes. vi), quia dæmones natura spirituales et malitia nequam, in aere nobis isto propinquo existunt. Hinc et Petrus. : *In aere caliginoso servantur, qui eis quasi carcer usque ad tempus judicii deputatus est* (II Petr. ii). Tunc autem in barathrum detrudentur inferni secundum illud : *Ite, maledicti* (Matth. xxv). Cæterum hoc totum propter nos, ut illis nobis in via objectis, per eos quasi per ignem et aquam probati, transeamus in refrigerium.

Angeli mali quotidie ad infernum descendunt. Quod autem quotidie descendant in infernum aliqui dæmonum qui animas illuc deducunt cruciandas, verissimum est. Et quod illic aliqui semper sint, alternatis sorte vicibus qui animas detinent ac cruciant, non procul est a vero. Quod autem animæ malorum illuc descendant, ex eo constat quod Christus ad inferna descendentes, justos eduxit, iniquos ibi relinquens. Momordit enim infernum, non absorbit (Ose. xiii).

Dæmones semel victi a sanctis, alios tentare desinunt. — Sciendum etiam quod spiritibus immundis

(220) Super Genes. l. xi, c. 14.

(221) L. xi, super Genes., cap. 17.

qui a sanctis juste et pudice viventibus vincuntur, potestas tentandi aufertur. Orig. (222) : Puto sane quod sancti repugnantes adversus istos incentores, et vincentes, minuunt exercitum dæmonum : vel ut quam plurimos eorum interimant, nec ultra fas sit illi spiritui qui ab aliquo sancto caste et pudice vivendo, victus est, impugnare iterum alium hominem. Hoc quidam intelligunt, quod non licet eum tentare hominem de vitio illo, in quo superatus est.

DIST. VII. Neque boni angeli male, neque mali bene velle possunt. — Præterea sciendum est quod boni angeli, ita per gratiam sunt confirmati, quod nequeant male velle v. l. agere. Ita etiam mali obstinati sunt per malitiam, quod bene velle aut agere non possunt. Ad hoc sane objicitur ex Hieron. qui ait (223) : Solus Deus est in quem peccatum cadere non potest. Cætera cum sint liberi arbitrii, etiam in utramque partem flecti possunt. Cæterum putandus est hoc dixisse secundum simplicem naturam arbitrii, secundum quæ etiam angeli mutari possunt, non secundum solatium gratiæ vel desolationem, secundum quod omnino mutari non valent. Unde Isidor. (224) : Angeli mutabiles natura, immutabiles sunt gratia. Aug. etiam (225) : Solus Deus nullius gratia, sed natura sua peccare non potest. Cuicumque igitur rationali creaturæ præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed gratiæ Dei. Secundum hoc etiam dicimus, quod quæcunque rationalis creatura bene agere non potest, non hoc de natura habet, sed de propria malitia.

Boni confirmati liberius arbitrium habent quam ante. De prælationibus angelorum. — Non ideo autem carent libero arbitrio boni, ut Aug. ait (225*), quia male velle non possunt, multo quippe liberius est arbitrium quod non potest servire peccato, quo voluntarie bonum eligitur, et malum respuitur. Sic et mali liberum habent arbitrium, adeo malitia corruptum, ut justitiæ servire nequeant, quo voluntarie bonum vitant, et semper malum sequuntur.

Prælati sunt etiam angeli sibi invicem, tam boni quam mali. Sunt etiam prælati civitatibus, provinciis, et personis, ut in Daniele et quam pluribus locis Scriptura testatur. Sunt etiam mali singulis vitiis prælati. Unde dicitur Spiritus superbiæ et luxuriæ. Inde est, quod divitiæ nomine dæmonis mammona vocantur, non quod ejus sint, sed quia eorum aliquis ad hominum deceptionem eis utitur specialius cæteris. Sic quoque credendum est bonos virtutibus sigillatim esse prælatos.

De scientia dæmonum. Triplex dæmonum scientia. Magicæ artes a dæmonibus proveniunt — Sed licet mali angeli ita sunt obstinati per malitiam, vivaci

tamen sensu penitus non sunt privati. Nam ut tradit Isidorus (226) et Aug. (227) triplici acumine scientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, relatione supernorum spirituum. Quorum etiam scientia et virtute magicæ artes exercentur. Velut magi Pharaonis, serpentes et ranas, per eos fecerunt in Ægypto (*Exod. viii*). Quorum rerum non sunt illi putandi creatores, sicut nec parentes filiorum, nec agricolæ frugum. Unus est enim Creator omnium solus, a quo hæc omnia, quæ acceptis opportunitatibus ad oculos nostros prodeunt, in quadam textura elementorum, quasi quibusdam seminibus positus, sunt creata, de quibus tanquam ab originalibus regulis sumunt progrediendi primordia et incrementa debitæ magnitudinis et distinctionis formarum. Hæc autem semina subtilitate sensus, tam boni quam mali angeli cognoscentes, adducunt ipsa habilia de occultis seminibus (et tunc natura operatur per congruas temperationes elementorum), latenter spargunt, et ita occasiones præbent gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum; Dei tamen virtus semper interior operatur. Unde ipse solus Creator est.

Quare dæmoni data scientia sit et tanta operandi potestas. — Hæc autem scientia et potestas data est dæmonibus a Deo, ut Aug. ait (227*) : vel ad fallendum fallaces, ut ipsos Ægyptios : vel ad monendum fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderant : vel ad exercendam probandamque justorum patientiam.

Potestas dæmonum restringitur. — Porro sciendum est eos non posse facere propter superiorem scilicet Dei vel angelorum potestatem non permittentem quidquid possunt per naturæ subtilitatem. Nec enim, ut ait Aug. (228), alia ratio occurrit, cur non potuerunt facere sciniphes, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia major aderat dominatio prohibentis Dei per Spiritum sanctum : quod et magi confessi sunt dicentes : *Digitus Dei est hic* (*Exod. viii*).

DIST. VIII. An angeli habent corpora. Angeli etiam si corpora haberent, non tamen corporei sunt. — Utrum angeli habeant corpora solet etiam quæri. Licet a quibusdam putetur eos corpora non habere : Aug. tamen manifeste ponere videtur, quod corpora habeant, ubi scilicet tractat de antiquis corporalibus formis, quibus Deus humanis aspectibus ostendebatur. Ait enim inter cætera (229) : Mittabantur angeli, ut ex persona Dei loquerentur. Sed fateor excedere vires intentionis meæ : utrum manente spiritali sui corporis qualitate, assumant aliquid ex inferioribus elementis corpulentioribus, an ipsa priora corpora sua transformant in id quod

(222) Tom. I, hom. 65, ad lib. Josue.

(223) In tractatu De filio prodigo, ad Damasum papam in fine.

(224) Lib. I De sum. bon. cap. 12.

(225) Contra Maximinum l. III, c. 12.

(225*) In Enchir. c. 105).

(226) De summo bono l. I, c. 12.

(227) Super Gen. l. II, c. 17.

(227*) Lib. III De Trin., c. 7.

(228) De Trin. l. III, c. eodem.

(229) Lib. III De Trin., c. 1.

volunt accommodatum ad id quod agunt. Idem etiam videtur dicere, super Genes. (230), omnes angelos in creatione habuisse corpora, in quibus pati non poterant, quæ servata sunt bonis angelis, post confirmationem: mutata vero transgressoribus, ita ut pati possint. Denique concessio quod habeant angeli corpora, non tamen ideo sequitur, quod sint corporei, quia et animæ nostræ corpora habent, non tamen sunt corporeæ.

An dæmones impleant cor hominis substantialiter. Solus Deus menti illabitur. Quomodo Satanas cor implere dicatur. — Denique sciendum est dæmones in corpora hominum introire Dei permissione, ut opprimant eos et vexent. Unde commemorat Evangelium, dæmonia in quosdam ingressa, et per Christum fuisse expulsa (*Matth. iv et viii; Marc. i; Luc. iv, ix et xi*), substantialiter sane in cor alicujus non intrant. Unde ait August. (231): Dæmones per energeticam operationem, hoc est, per intus efficacem. Non credimus substantialiter illabi animo, sed applicatione et oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit eam. Item Beda (232): Notandum quod mentem hominis, juxta substantiam nihil implere possit, nisi creatrix Trinitas: secundum enim operationem tantum, et voluntatis justitiam anima de his quæ sunt creata impletur. Implet vero Satanas cor alicujus, non quidem ingrediens in eum et in sensum ejus: hæc est enim potestas solius Dei, sed callida deceptione animam in affectum malitiæ trahens, per cogitationes et incentiva vitiorum, qualiter implevit cor Ananiæ et Judæ (*Joan. xiii; Act. v*).

DIST. IX. De ordinibus angelorum. Novem ordines angelorum. Dionysius tres tantum ordines statuit. — Nunc videre superest quot sint angelorum ordines, et quid sit ordo et unde dicatur: et si ita distincti fuerint ab ipsa creatione: Scriptura igitur novem esse angelorum ordines frequenter promulgat, angelos, archangelos, principatus, et potestates, virtutes, dominationes, thronos, cherubim quoque et seraphim. Quidam tamen, ut Dionysius (233), tres tantum ordines tradunt, ternos in singulis ponendo, ut ita Trinitatis imaginem in ordine angelorum esse insinuent.

Quid sit ordo, et quæ ratio cujusque nominis. — Ordo autem est multitudo cælestium spirituum, qui inter se aliquo simulantur munere gratiæ, sicut etiam in naturalium datorum acceptione conveniunt. Ut Seraphim, quod interpretatur ardens vel succendens, dicuntur qui præ aliis ardent charitate. Cherubim quoque, quod interpretatur plenitudo scientiæ, sunt qui præ aliis scientia eminent. Ita de aliis.

Ordines singuli. Qualiter a donis gratiarum nominantur. — Nominantur etiam singuli ordines a

(230) De Gen. ad lit. l. iii, c. 10.

(231) Aug., De doct. eccl., c. 33.

(232) Super illum locum *Act. v: Cur tentavit Satanas cor tuum?*

A donis gratiarum, quæ non singulariter, sed excellenter data sunt. Unde Gregorius (234): In illa superna civitate, quisque ordo ejus rei censetur nomine, quam plenius possidet in munere. Plenius autem intellige, vel quantum ab subjertis ordines, vel quantum ad alia dona, quæ idem ordo minus plene accepit. Sicut autem in ordine apostolorum vel martyrum non omnes sunt æquales, ita etiam in ordinibus angelorum, intelligendum est.

An ab ipso creatione sic distincti fuerint. — Videtur autem quod ab ipsa creatione sic distincti fuerint, pro eo quod Scriptura dicit, de singulis ordinibus aliquos cecidisse. Denique hoc stare non potest, Quippe si ardebant charitate, ut seraphim, et eminebant scientia, ut cherubim, et in eis sedebat Deus, ut throni, et ita de aliis ordinibus, non potuerunt cadere. Sane sciendum est angelos ab ipsa creatione, differentes habuisse gradus, tam naturæ tenuitate quam formæ perspicuitate, ut alii essent superiores, alii inferiores, alii mediocres. Secundum hoc igitur, aliquos de singulis ordinibus cecidisse, dicitur. Vel ideo dicitur quod, si perstitissent qui ceciderunt, eorum aliqui in singulis fuissent confirmati ordinibus.

Quo sensu decimus ordo ex hominibus compleri dicatur. — Dicit etiam Scriptura decimum ordinem compleri ex hominibus. Sed qualiter dicitur ordo decimus, cum tantum novem esse supra perhibuimus? Præsertim cum Greg. dicat (235), homines esse assumendos in ordine angelorum inferiorum et superiorum. Non est ergo sic dictum tanquam decimus ordo sit hominum, et novem angelorum, sed quia lapsus angelorum ex hominibus reparabitur, de quibus tot corruerunt, qui unum ordinem facere possent, quasi decimum: vel tot corruerunt, quot in uno quolibet ordine remanserunt. Unde Apostolus dicit restaurari omnia in Christo, quæ in cælis et in terris sunt (*Ephes. ii*).

Homines salvabuntur juxta numerum stantium non lapsorum, — Non tamen juxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines salvandi creduntur. Unde Greg. (236): Superna illa civitas, ex angelis et hominibus constat, ad quam credimus tantum humani generis ascendere, quantos constat illic angelos remansisse. Sicut scriptum est: *Constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei* (*Deut. xxxii*).

D*IST. X. Ex singulis ordinibus angeli mittuntur. Confirmatio a minori.* — Credi etiam potest fideliter cælestes spiritus de omni ordine mitti ad hæc exterrora nuntianda. Unde Apostolus: « *Omnes sunt administratorii spiritus, et missi in ministerium* (*Hebr. ii*). Et in Psal.: *Qui facit angelos spiritus* (*Psal. ciii*). Isaias etiam ait: *Volavit ad me unus ex seraphim* (*Isa. ix*), qui ordo supremus est. Nec

(233) Lib. i De cælesti hierarch.

(234) Hom. 34, Evang.

(235) Hom. 34, super Evangelium Lucæ xv,

(236) Loco superius citato.

debet indignum videri, si etiam superiores mittuntur, cum et ipse Filius Dei ad hæc inferiora sit missus. Aliter tamen putant, quia in Daniel, scriptum est: *Millia millium ministrabant ei* quasi in exterioribus istis, quod de inferioribus ordinibus dictum aiunt. *Et decies centena millia assistebant ei* (Dan. vii): hoc de superioribus, quasi qui nunquam per ministerium a Deo cedunt. Unde Dionysius (237): In cœlesti hierarchia, quæ sacer dicitur principatus, superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt, quoniam ea quæ præminent, usum exterioris officii nunquam habent. Sed intelligantur officii ordinarii. Eorum enim ordo officio non censetur. Aliquando sane causa extra communem dispensationem oborta, pro majoris rei eminentia vel significatione mittuntur.

DIST. XI. Cuique homini a nativitate angelus in custodiam deputatur. — Præterea sciendum unicuique homini, unum bonum angelum ad custodiam, et unum malum deputari ad exercitium. Unde Gregorius ait, quod quisque unum bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, et unum malum angelum ad exercitium habet. De bonis autem angelis, Veritas a pusillorum scandalo prohibens ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris* (Matth. xviii). Ubi Hieronymus dicit (238): Magna dignitas est animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis ad custodiam sui, angelum delegatum.

An singuli singulis vel pluribus hominibus unus angelus sit deputatus. — Denique inoffense credi potest, vel quod singuli angeli singulis deputentur hominibus, vel quod unus pluribus, eodem vel diversis temporibus. Nec enim mirandum, unum angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum etiam uni homini plurium hominum custodia deputetur vel committatur.

An angeli proficiant in merito vel præmio. — Conciliat apparentem doctorum controversiam. — Postremo sciendum est fideliter dici, bonos angelos usque ad diem iudicii in merito proficere, quia quotidie hominum utilitatibus inserviunt, eorumque student profectibus, per quod merentur. Et etiam in præmio, hoc est, in dilectione proficiunt. Etenim proficiunt in cognitione, et quo magis cognoscunt, eo magis diligunt. Quod autem magis cognoscant, Isaias testatur ex persona angelorum. Verbi incarnati mysterium minus cognoscentium, dicens: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* (Isa. lxiii.) Et Psal.: *Quis est iste rex gloriæ?* (Psal. xxiii.) Apostolus quoque ait: *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi, a sæculis in Deo, ut innotescat multiformis sapientia Dei per Ecclesiam, principatibus et potestatibus in cælestibus* (Ephes. iii). Ubi licet Augustinus dicat (239): Ange-

los non latuisse mysterium regni cœlorum, tamen ad plenum non intellexerunt. Ude Hier. ibidem dicit (240) angelicas dignitates præfatum mysterium, ad purum intellexisse, donec apostolorum prædicatio ad gentes dilatata est: per hoc ergo patet, angelos in cognoscendo proficere. Nec obloquitur quod ait Greg. (241): Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Dicit enim eos nihil nescire, scilicet eorum sine quibus beatitudo non est. Ea vero sunt quæ ad mysterium unitatis Trinitatisque pertinent.

De distinctione operum sex dierum. Quid per terram significetur. — Post tractatum angelicæ naturæ, nunc de aliis superest videre. Non enim solum cœlum, hoc est angelos, in principio creavit Deus, sed et terram (Genes. i), id est materiam quatuor elementorum confusam, quæ, inquam, terra dicta est, ut Aug. ait (242), eo quod inter elementa minus est speciosa. Dicta est et abyssus, ut scriptum est: *Et tenebræ erant super faciem abyssi* (ibid.). quia conjuncta erat, specie distincta dilucidaque carens: eadem etiam dicta est aqua, super quam ferebatur Spiritus Domini, sicut voluntas artificis super parata materia. Ea quoque dicta est aqua, quia quæcumque in terra nascuntur, ab humore incipiunt formari et nutrir; hæc autem ante omnem diem creata est. Deinde vero distincta singulis rebus proprias species capientibus. Quod quidem non simul factum est, ut aliqui Patrum tradere videntur, sed per volumina sex dierum, ut fides catholica tenet.

Quare terra informis dicta sit. — De hac igitur distinctione visuri, primum expediemus, cur illa materia informis dicatur, et ubi ad esse prodiit, quantumque in altum accendit? Materia igitur dicta est informis, non quia penitus forma careret. Hoc enim esse non potuit, cum esset corpus; sed quia nondum pulchram aptamque ac distinctam acceperat formam, qualem nunc cernimus. Facta igitur prius est in forma confusionis disposita, secundo in forma distinctionis.

De malis divinæ operationis. — Denique advertendum videtur, quod super hunc locum tradidit Alcuinus. Quatuor, inquit (243), modis Deus operatur: primo in verbo omnia disponendo; secundo in materia uniformiter creando; tertio per opera sex dierum distinguendo; quarto non nova sed nota sæpius ne pereant reformando.

Ubi illa materia ad esse prodiit: quantumque in altitudine ascenderit. — Proinde si quæritur, ubi ad esse prodiit confusa? Fideliter credendum putamus quod ubi nunc formata subsistit. Et porrigebatur eo usque in altum, quo nunc summitas corporeæ naturæ pertingit. Imo, ut quidam volunt, ultra fir-

(237) Cap. 7, et ad verbum Gr. hom. 34.

(238) Super Mattheum ubi supra.

(239) Originaliter super Gen. i. v, c. 16.

(240) Ilier. in epist. ad Eph. c. 3.

(241) Lib. iv Dialogorum c. 3, et l. xx Moralium, c. 3.

(242) Lib. de Gen. contra Dan. i, c. 7.

(243) Super Genes.

mamentum extendebatur illa moles, quæ in imo sui spissior, in supremo vero rarior erat leviorque: et de ea parte aquas esse aiunt, quæ supra firmamentum esse dicuntur. Talis igitur fuit mundi facies in principio, priusquam reciperet distinctionem, quæ facta est sex diebus.

DIST. XIII. *Distinctio primæ diei.* — Primæ itaque diei opus fuit formatio lucis. Unde consequenter Scriptura dicit: *Dixit: Deus, Fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem a tenebris* (Genes. 1). Congruè autem mundi ornatus incæpit a luce, per quam cætera quæ creanda erant, viderentur (244).

Qualis illa lux fuit. — Quæ lux spiritualis intelligi potest, scilicet angelica natura, ut Augustinus ait (245); Quæ prius tenebræ erant, cum informis creata fuit lux vero facta est, conversa ad Creatorem, eique charitate adhærens. Vel etiam corporalis fuisse intelligitur: quod probabilius est, velut lucida nubes, cum qua dies esse incæpit.

Ubi lux sit facta. — Quæ credi potest ibi facta esse, ubi nunc corpus solare locatur. Vicem enim solis usque ad diem tertiam tenuit, quæ motu suo circumacta noctem discernabat; et diem, velut sol quotidiano cursu nunc vehitur, eademque distinguit, sequitur. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.

Quot modis accipiatur dies. Ordo computationis dierum. — Denique dies multis modis accipitur. Dicitur enim *dies lux ipsa*, sicut præmissum est, et aeris illuminatio, ut sæpe occurrit, et spatium viginti quatuor horarum, secundum quod dicitur. *Et factum est vespere et mane dies unus* (Genes. 1), quod sic intelligendum est: Factum est vespere prius, dum exacto cursu diurno, lux vergebat in occasum, et postea mane secundæ scilicet diei, eadem luce cursu nocturno revoluta ad ortum. Prima enim dies non habuit mane, quod est aurora, sed a plena luce inchoavit, et terminata est in mane secundæ diei: sic computabatur, ut dies præcederet, et sequeretur nox, quod usque ad tempus sepulturæ Domini factum est. Quod mysterio non vacat. Homo enim a luce justitiæ per peccatum corruit in tenebras ignorantie. A resurrectione autem Domini a vespera computatur dies in vespere, ita ut præcedat nox, et sequatur dies. In mysterio etiam, quia per Christum a tenebris ad lucem redit homo. Unde Apostolus: *Eramus aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino* (Ephes. v.)

Quare sol sit factus. Qualiter accipiendum sit illud: Deus dixit, Quomodo Deus operetur in verbo et per verbum. — Quod si quæritur cur factus est sol, cum lux illa diem faciebat? Dicitur potest lux illa partes superiores illuminare: inferiores vero non, ideoque sol factus est, ita ut vel in eadem parte

cœli, ea lux sibi adjuncta remaneat, vel de ea forsan formatum est solis corpus (246). Sciendum est hinc Deum non dixisse temporaliter, ut fieret lux, quia non mutabiliter, ut Aug. ait (247): Nec sono vocis, cum non esset lingua, qua loqueretur. Ad naturam ergo verbi refertur, quasi non sono vocis, sed in verbo sibi coæterno dixit, hoc est, verbum genuit, in quo ab æterno disposuit, quod in tempore facturum erat in eodem verbo. Operatur enim Pater in verbo et per verbum, ut frequenter Scriptura dicit, non quasi artifex per instrumentum, sed quia opificem omnium genuit. Unde Chrysost. (248): Sicut iudicare per Filium Pater dicitur, quia iudicem genuit, sic et operari per Filium, quia constat eum opificem genuisse. Vel per Filium operari, id est cum Filio. Nec tamen similiter dicitur Filius operari per Patrem, licet cum Patre operetur, propter auctoritatem principii in Patre servandam. Eadem de Spiritu sancto intelligenda sunt.

DIST. XIV. *De distinctione secundæ diei qua factum fuit firmamentum. De qua materia sit factum firmamentum.* — Dixit quoque Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis* (Genes. 1). Aquas scilicet quæ in aere et in terra sunt, ab aquis quæ supra firmamentum sunt. De quibus dicitur: *Qui legis aquis superiora ejus* (Psal. ciii): agitur autem hic de firmamento sidereo, quod de aquis factum credi potest, in modum crystalli, teste Beda (249): licet alii dicant cælum quod excedit aeris spatium, igneæ naturæ esse. Quibus etiam ad stipulari videtur Aug. (250): Tamen quocumque creditur, fidem non lædit. Quales autem et ad quid conditæ sunt, super firmamentum aquæ, ipse novit qui condidit.

Quare dicatur firmamentum. — Denique dicitur firmamentum, non propter stationem, sed propter firmitatem, et terminum aquarum intransgressibilem.

Quare tacuit Deus bonitatem creatorum secundæ diei. — Notandum etiam quod in hac die sicut in cæteris non legitur: Vidit Deus quod esset bonum. Non quod ita non esset, sed propter aliquod sacramentum commendandum. Forsan enim propter binarii detestationem factum est, qui est principium alteritatis et divisionis.

De distinctione tertiæ diei. — Tertiæ diei distinctio fuit congregatio aquarum, in locum unum. *Dixit enim Deus: Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida* (Genes. 1). Fieri enim potuit ut terra subsidens concavas partes præberet, ubi fluctuantes reciperet aquas, et fieret arida apta graminibus.

Ubi aquæ fuerint congregatæ. — Aquæ autem omnes dicuntur in unum locum congregatæ, pro-

(244) Ambr. lib. 1 Hexam. c. 9.

(245) Super Gen. De Gen. ad lit. 1, c. 3-5.

(246) Aug. l. 1 De Gen. ad lit. cap. 11.

(247) Super Gen. l. 1, cap. 2 et 9.

(248) In expositione epistolæ ad Hebr. hom. 2,

cap. 4.

(249) Super Genes, variis locis Damas. l. 11, orth. c. 6.

(250) Aug. l. 11 De gen. ad lit. c. 3.

pter magnum mare, unde exeunt, et ad quod revertuntur. Dicuntur etiam congregationes aquarum, propter multifidos sinus, et plurimaseorum derivationes, ex eodem mari.

Ecce habes qualiter prima die creata fuit lux, quæ cuncta illustraret, et secunda firmamentum factum, quod divideret aquas ab aquis. Tertia demum die aquarum molibus intra receptacula collectis, terra revelata est, atque aer serenatus. Tribus ergo primis diebus elementa distincta sunt; tribus vero sequentibus eadem ornata existunt, de quo nobis videndum est.

De ornatu quartæ diei quando facta sunt luminaria. — Cæli igitur ornatus in quarta die fuit, luminarium creatio. *Dixit enim Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem (Gen. 1).* His namque provisum est hominibus, ut circumeunte sole, diei, noctisque vicissitudine potirentur. Consolati etiam luna ac sideribus ne nox indecora remaneret. De quibus etiam subditur: *Et sint in signa et tempora, et dies et annos (ibid.).* Quod dictum est, non quod quarto die primo cœpissent tempora, sed quia sunt insigne serenitatis et tempestatis, et usitatæ distinctionis dierum et annorum, et quatuor anni temporum scilicet veris, ætatis, hiemis et autumnus.

Dist. XV. De ornatu quintæ diei. — Ornatus autem quintæ diei, fuit creatio animantium ex aquis. Sic enim dixit Deus: *Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram (Genes.).* De quibus duo elementa sunt ornata, scilicet aer in volatilibus, et aquæ in natatilibus.

De ornatu sextæ diei. — Die quoque sexta ornata est terra in bestiis. Unde dixit Deus: *Producat terra animam viventem, jumenta, reptilia et bestias terræ, secundum species suas (Genes. 1),* quæ omnes creatæ sunt innoxie, sed propter peccatum factæ sunt pleræque noxiæ.

De creatione hominis. — Omnibus igitur dispositis ut pertrinximus, novissime factus est homo, et in mundum tanquam universorum dominus, et possessor inductus. Unde sequitur: *Vidit Deus quod esset banum, ait: Fuciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Genes. 1):* de cujus creatione amodo tractemus, sed de die septima prius absolvamus.

De ornatu diei septimæ. — Scriptum est igitur: *Complevit Deus die septimo opus suum, et requievit ab universo opere quod patrarat (Genes. 11),* hoc est, perfecerat.

Quomodo intelligatur Deum requievisse. — Denique requievisse dicitur Deus, non quasi lassus operando, sed novam creaturam facere cessando. Sicut etiam in Apocalypsi accipitur: *inquit, Non habebant, inquit, requiem dicentia: Sanctus (Apoc. 14),* hoc est, dicere sanctus non cessabant.

Quomodo intelligatur Deum complesse opus suum

(251) In l. De quantitate animæ c. 2.

die septima. Benedictio diei septimæ. — Sed qualiter in ea die opus suum dicitur complevisse, cum in ea legatur nihil fecisse; nisi forte quod in ea benedixit et sanctificavit, sicut Scriptura testatur: *Benedixit, inquit, diei septimo, et sanctificavit illum (Genes. 11),* quod operari fuit. Sicut Salomon opus fecit cum templum dedicavit. Illum autem diem sanctificasse dicitur, quia eum præ cæteris mystica benedictione donavit. Unde in lege: *Memento sanctificare diem sabbati (Exod. 20):* vel complevit Deus die septima opus suum, hoc est, perfectum et consummatum vidit.

Dist. XVI. De creatione hominis. Quomodo homo sit factus. — Decursis supradictis de creatione hominis, videamus, inquirentes quomodo, et qualis sit homo factus, exinde qualiter sit homo lapsus, tertio qualiter sit reparatus. In Genesi ergo legitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1).* Dicendo *faciamus,* una opera trium Personarum ostenditur: dicendo, *nostram,* æqualis substantia trium Personarum ostenditur, vel monstratur. Ex persona enim Patris hic dicitur ad Filium, et ad Spiritum sanctum, non ad angelos, quia Dei et angelorum non est una imago, vel similitudo.

Qualis factus est homo. In quibus consideratur imago et similitudo. — Denique factus est homo secundum mentem ad imaginem Dei propter memoriam, intelligentiam et dilectionem. Ad similitudinem vero propter innocentiam et justitiam, quæ in mente hominis naturaliter sunt. Vel imago in aliis omnibus. Similitudo vero in essentia animæ, quia et immortalis et indivisibilis est. Unde Aug. (251): *Anima similis facta est Deo, quia immortalem et indissolubilem fecit eam Deus. Imago ergo pertinet ad formam, similitudo ad naturam.*

Quomodo homo dicitur imago Dei. — Homo etiam dicitur imago Dei. Unde Apostolus: *Vir est imago et gloria Dei (I Cor. 11):* quod de mente dicitur proprie, et tamen de homine dicitur, in quo est ipsa pictura, imago dicitur.

Homo dicitur imago et ad imaginem Dei: Filius vero solum imago. — Notandum quoque quod homo imago dicitur, et ad imaginem; Filius vero imago tantum, quod quare sit August. dicit (252): *Homo ita imago dicitur, quod et ad imaginem, quia non æquatur paritate, sed accedit quadam similitudine; Filius autem est imago, sed non ad imaginem, quia æqualis est Patri. Ecce secundum proprietatem mentis homo est similis Deo, sed etiam corpus ejus hoc indicat, quod est in cælum erectum.*

Dist. XVII. De creatione animæ Adæ. — Proinde factura corporis et animæ describitur Adæ cum dicitur: *Formavit Deus, quantum ad corpus, hominem de limo terræ. Item: Et inspiravit in faciem spiraculum vitæ (Genes. 1),* quantum ad animam.

(252) De Trin. l. vii, c. 6 in fine.

Vel secundum alios, flavit vel sufflavit, non quod manibus corporeis, vel faucibus factum intelligamus esse, sed volendo et jubendo fieri. Spiritus enim Deus est, non corpus, qui quæcunque voluit, fecit. Insufflavit autem, hoc est, flatum fecit, non quidem de sua substantia. Flare enim est flatum facere, id est animam. Unde per Isaiam (lvii): Omnem flatum, hoc est animam, ego feci.

Quomodo anima sit creata. — Fecit enim Deus animam Adæ secundum August, (253), cum angelis sine corpore, secundum vero alios, in corpore creata est, ut totum corpus animaret. Faciem vero, quia præ cæteris partibus corporis, sensibus ornata est, nominatim expressit. Verum quidquid de anima Adæ fuerit, de aliis tenendum, quod in corpore creentur; creando enim infundit eas Deus, et infundendo creat.

Quæ ætate creatus fuerit Adam et ubi? An paradisos sit corporeus. Descriptio paradisi. Lignum scientiæ boni et mali. Quomodo homo cognoverit bonum et malum. Quomodo optime consideratur inobedientia. — Fuit Adam in virili ætate creatus, ut ait Aug. super Genes. (254). Non autem in paradiso factus est homo, sed extra, et ita in paradiso positus. sicut Scriptura docet: *Tulit, inquit, Dominus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, quem plantaverat a principio (Genes. 11).* Per quod significatum est, quod ad meliora homo proficere deberet. Paradisus autem iste localis intelligitur, qui ab illo principio plantatus accipi potest, quo terram, herbas et ligna producere jussit Deus (254*). Vel a principio, hoc est, in oriente. Unde antiqua littera dicit ad orientem. Est autem illic locus amœnissimus, magno fonte secundus, et lignis diversis generis ac fructuosis decorus. Inter quæ est unum lignum, vitæ vocatum, eo scilicet; quia divinitus hanc vim accepit, ut qui ex ejus fructu comederet, ejus corpus stabili sanitate et perpetua soliditate firmaretur, nec in deterius et in occasum laberetur. Est etiam ibi lignum scientiæ boni et mali, non ideo sic dictum, quod arbor mala esset, sed quia propter prohibitionem erat in illa transgressio futura, qua homo experiendo disceret, quid inter bonum obedientiæ, malumque inobedientiæ esset. Cognovit enim homo priusquam hoc lignum tangeret, bonum per experientiam et prudentiam; malum vero per prudentiam tantum. Usurpato autem vetito, etiam per experientiam malum cognovit. Nec melius consideratur, quantum malum sit inobedientia, quam cum ideo reus factus intelligitur homo, quia rem prohibitus tetigit, quæ tangenti non obsesset, si non prohiberetur. Si enim rem venenosam prohibitus tangis, pœna ipsa non tamen ex prohibitione, quam ex natura rei sequi videtur. Dum igitur rem bonam

A prohibitus tangis, ex sola inobedientia pœna esse, sicut ex obedientia palma demonstratur.

DIST. XVIII. *De formatione mulieris.* — Denique in paradiso formavit Deus mulierem de substantia viri, sicut Scriptura dicit: « *Immisit, inquit, Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis, ejus, et ædificavit eam in mulierem (Gen. 11).*

Quare facta sit de latere viri mulier? Facta est igitur mulier de latere viri non de capite, aut de pedibus, quia nec domina, nec ancilla ei parabatur. Si enim de capite facta esset, videretur viro ad dominationem præferenda; et si de pedibus, ad servitutem subjicienda, sed de latere facta est, ut per hoc ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis viri, et adminiculum generationis (255).

B *Quare Adam prius et non simul Eva creata sit?* — Non autem simul facta est cum viro, sed vir solus prius, de quo ipsa postea, ut per hoc imago Dei in homine appareret. Sicut enim Deus est principium totius creationis, ita Adam est principium generationis. In quo etiam superbia diaboli retunditur, qui principium esse inique usurpare voluit.

C *Quare de viro dormiente mulier facta sit? Quod anima non sit ex traduce?* — Quod autem facta est mulier sopore misso in Adam, sacramentum Christi et Ecclesiæ fuit. Sicut enim mulier de latere viri dormientis formata est (256), ita Ecclesia de sacramentis, quæ de latere Christi dormientis in cruce profluxerunt (Joan. xix), aqua et sanguine abluta a culpis, redempta a pœnis. Sic igitur corpus mulieris de corpore viri traductum est quod non similiter de anima intelligere licet, quæ non est ex traduce. Hieronym. (258) enim anathematis vinculo obligat illos, qui esse animas ex traduce dicunt inducens auctoritatem de propheta: *Qui finxit sigillatim corda eorum (Psal. xxxii, hic satis, inquit, innuit propheta, quod non animam de anima facit Deus, sed sigillatim animas de nihilo creat.*

DIST. XIX. *De statu hominis. De primo hominis statu ante lapsum videlicet. De hominis statu post lapsum.* — Occurrit hic triplex de statu hominis consideratio, qualis, scilicet homo fuerit ante peccatum, et post peccatum, et in resurrectione erit. In primo itaque statu habuit homo posse mori, et posse non mori. In secundo statu, scilicet post peccatum, habuit posse mori, et non posse non mori. In tertio statu habebit posse non mori, et non posse mori. Unde Aug. (258): Primum de limo terræ formatum est corpus animale non spirituale, cum quali etiam resurgemus. Illud enim ante peccatum, mortale et immortale erat, quia poterat mori et non mori, quod peccatum mortuum factura est, ut Apost. ait: Non enim hoc corpus est mortale, sicut primi hominis fuit, sed deterius, quia necessitatem habet

(253) C. 57, secundum translationem, LXX. Super Genes., lib. vii, c. 25 et 27.

(254) De Gen., ad lit. lib vi, c. 13.

(264*) Aug., lib. vii, De gen. ad lit., c. 3.

(255) Ex Aug., lib. De Gen. ad lit. c. 13.

(256) Ex Aug., lib. xii. De civitate Dei, c. 26.

(257) Super psal. xxxii.

(258) Super Gen., lib. vi, c. 19 et 24.

moriendi (*Rom. v; I Cor. xv*). Quod mutabitur A in spirituale, nec poterit ultra dissolvi, cum in-
duerit immortalitatem. Filii enim resurrectionis non poterunt ultra peccare, nec mori.

Unde immortalitas Adæ ante peccatum. — Videtur autem immortalis fuisse caro Adæ ante peccatum de conditione naturæ, adjuvanda, tum per ciborum alimoniam, tum per esum ligni vitæ perficienda. Unde Aug. (259): Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata est ut per alimoniam cæterorum lignorum, quæ jussus erat manducare servaretur, donec productus ad ætatem conditori placitam, ipso jubente sumeret de ligno vitæ, quo perfecte immortalis factus, ultra cibi alimenta non requireret. Nec movet quod ait August. (260) scilicet: Quodammodo creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Cui sensui congruunt verba Domini dicentis de Adam, post peccatum: Videte ne forte *sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum* (*Genes. iii*).

Sed adhuc contradicunt quidam, putantes primos parentes non indignisse cibo ante peccatum, et dicunt: Si non peccarent, non morerentur; non autem peccarent si non comederent, quia poterant sine alimonia vivere. Quibus dicitur, quod non solum peccarent de vetito edentes, sed etiam concessis non utentes. Fuerat enim utrumque præceptum, scilicet istis uti, et illo abstinere. Unde Aug. (261): In mandatis utrumque continebatur, ut de concessis manducarent et ab interdicto abstinerent.

Item si non peccarent, famem non sentirent, cum ea sit pœna peccati. Sine fame autem superflue comederent. Ad quod dicitur. Fames vere pœna peccati est. Est enim immoderatus appetitus edendi. Cui non subjaceret homo si non peccasset, haberet tamen naturalem appetitum et moderatum, cui etiam ante peccatum satisfacere oportuit.

Dist. XX. Quare in paradiso non coierint primi parentes? — Creati autem primi parentes in paradiso non coierunt. Quia creata muliere, mox transgressi sunt, et ejecti: vel quia Deus nondum jusserrat ut coirent, poteratque, divina exspectari auctoritas, ubi concupiscentia non angebat.

Ubi generunt primi parentes. Quomodo ante peccatum genuissent? — Cæterum de paradiso emissi, genuerunt. Quibus honorabiles nuptiæ et torus immaculatus ibi esse non potuit sine ardore libidinis, sine labore pariendi. Quia credendum est, illos ante peccatum genitalibus membris imperare potuisse, sicut et cæteris in quolibet opere, sine aliquo pruritu voluptatis. Sed post peccatum, motum illum meruerunt, quem nuptiæ vere ordinant: continentia cohibet. Infirmetas enim prona in ruina turpitudinis, excipitur honestate conjugii, et quod sanis esset officium, ægrotis est remedium.

Quales fuissent filii ante peccatum procreati. Quid

de sensu animæ sit tenendum. — Potest autem dubitari, si ante peccatum genuissent, utrum mox geniti perfecti fuissent, statura corporis, et sensu animi, velut Adam, cum conditus esset, aut per intervalla temporum, ut modo, sic proficerent? Utique nihil horum quod auctoritate definitum est, occurrit, nisi quod forte necesse erat parvulos nasci, ut Aug. ait (262), propter uteri necessitatem. Hoc autem certum est, quod proprie infirmitati mentis congruit, hoc infirmitas carnis scilicet quod homini nato, nec pedes idonei ad incessum, nec manus saltem habiles sunt ad scalpendum, quod aliter est in plurium animalium pullis, qui mox nati currunt, et matrem sequuntur.

Denique si quis eos secundum animam per temporis intervallum profecturos esse dixerit, non urgebitur, ideo confiteri ignorantiam, quæ pœna peccati est, in eis potuisse esse ante peccatum. Quippe non omnis qui aliquid nescit, et minus perfecte scit, statim ignorat; quia ignorantia non dicitur, nisi cum id quod sciri et non ignorari debet, nescitur: talis ignorantia pœna peccati est. Talis autem erat hominis status ante peccatum, ut dictum est, de quo si non peccasset, transferendus erat cum universa posteritate, ad perpetuæ felicitatis amorem.

Dist. XXI. De invida tentatione diaboli. — Videns igitur diabolus, per humilitatem posse ascendere hominem, unde per superbiam ipse ceciderat, invidit ei, et ideo ad tentandum eum, dejiciendumque accessit. Verum quia ejus malitia timida est ad tentandam virtutem, non virum, in quo plus rationis vigere sciebat, sed infirmam mulierem proposuit.

Quare dæmon in aliena forma venit? De tentationis modo. — Ne autem fraus ejus perciperetur, non in propria forma, sed in aliena venire voluit. Itaque permisit ei Deus, formam suæ malitiæ congruentem scilicet serpentis, per quem tentaret, quem spiritu suo diabolus implens, ut Aug. ait, sapientissimum omnium bestiarum fecit. Inde dicitur *serpens callidior cunctis animalibus terræ* (*Genes. iii*). Non quidem ex rationali anima, sed spiritu diaboli, quo adimplebatur, qui sapientissimus est. In hac itaque forma, mulieri adstitit dicens: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi? Cui mulier: Ne forte moriamur* (*ibid.*). Quo dicto aditum seducendi aperuit, ac ideo protinus subjunxit: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*ibid.*).

Homo est tribus modis tentatus. Quid gula? Vana gloria? Avaritia? — Ubi diabolus tentavit hominem tribus modis: gula, vana gloria, avaritia. Gula persuadendo cibum dicens: *In quocunque die comederitis*; vana gloria, promittendo deitatem, dicens: *Eritis sicut dii*; avaritia, promittendo scien-

(259) Lib. Quæst. veteris et nov. leg., c. 10.

(260) Super Gen., lib. vi, cap. 25.

(261) Loco sup. citato in quæst. Novi et Vet. Test.

(262) De peccat. mer. et remis., 37.

tiam, dicens : *Scientes bonum et malum*. Est autem gula immoderata cibi aviditas ; vana gloria propriæ excellentiæ ; avaritia enormis cupiditas habendi, quæ non tantum pecuniæ est, sed omnis illius quod supra modum ambitur.

De ordine et progressu humanæ perditionis. — Nota etiam hic ordinem humanæ perditionis. Primo affirmavit Deus dicens : *In quocunque die comederetis ex eo, morte moriemini*. Deinde mulier dubitando dixit : *Ne forte moriamur*. Tertio diabolus negavit, dicens : *Nequaquam moriemini*. Dubitans ergo ab affirmante recessit, et ut periret, neganti appropinquavit.

DIST. XXII. *De peccato hominis.* — Denique videns lignum, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave, credens verbis serpentis, comedit, deditque viro suo (*Genes. III*), in quo diabolo suggerente, uterque peccavit.

An casum hominis præcesserit elatio in animo ejus? — Videtur tamen quod tentationem præcesserit eorum peccatum, eo quod dicat Aug. super *Genes.* (263) : Non est putandum quod homo dejiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda. Item (264) : Quomodo verbis tentatoris crederet mulier, nisi menti ejus inesset amor propriæ potestatis, et de se superba præsumptio? Quod si ita est, non alterius prius suggestione peccavit homo. Cum auctoritas tradat ideo peccatum diaboli esse incurabile, quia non suggestione, sed propria superbia cecidit, hominis vero curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, ideoque per alium surgere potuit (265). Ad hoc autem dicimus, quod elatio tentationem non præcesserit, sed prohibitiæ comestitionis opus. Hoc enim ordine actum est. Præcessit seducentis tentatio, secuta est in homine mentis elatio, accessit tertio inobedientis transgressio.

Quæ fuerit elatio mentis utriusque? In quo fuerit seductus Adam. — Talis autem fuit elatio mulieris, ut vellet habere Dei similitudinem, putans id esse verum, quod dixerat diabolus : *Eritis sicut dii*. Quæ elatio nequaquam fuit in viro, nec fuit seductus, ut ait Apost. : *Non credens esse verum quod diabolus suggerebat* (*I Tim. II*), scilicet Deum ; lignum ideo tangere prohibuisse, quod sciret eos sicut deos futuros, si tetigissent. Sane cum videret Adam mulierem accepta illa esca corporaliter non mortuam, sicut credebatur, mox aliqua inhæsit menti ejus elatio, qua cuperet et ipse lignum vetitum experiri, Non enim fuit seductus Adam ut Apostolus ait (*I Tim. III*) : In eo, inquam, in quo mulier, ut crederet scilicet illud esse verum, *eritis sicut dii* : sed in eo est deceptus, quod putabat illud peccatum veniale esse. Unde Aug. (266) : Inexpertus divinæ se-

veritatis Adam, in eo falli potuit, ut veniale crederet illud esse commissum.

Quorumdam sententia quod Adam etiam ambierit esse ut Deus. — Porro videtur quod et vir voluit esse sicut Deus: Ubi enim dicitur : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*, ait Aug. (267), rapuit Adam et Eva præsumentes, ut diabolus, de divinitate rapere voluerunt divinitatem, et perdidit felicitatem. Item Aug. super illud : *Deus qui similis erit tibi?* (*Psal. LXXXII.*) Qui per se vult esse ut Deus, perverse vult Deo similari, ut diabolus, qui noluit esse sub eo : et homo, qui ut servus, noluit teneri præcepto, sed voluit ut, nullo sibi dominante, esset quasi Deus. Item super illud Pauli ad Philippenses (II) : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Quia non usurpavit, quod suum non esset, ut diabolus et primus homo (268). Ad quod dicunt, ideo hoc Adam voluisse, quia mulier de eo sumpta, illud voluit. At qualiter peccatum in mundum intravit per unum hominem? Respondent: Quia per mulierem intravit de viro factam. Mulier enim, priusquam vir, peccavit.

Uter eorum plus peccaverit? — Melius autem videtur quibusdam, quod etiam Adam ambierit sicut Deus esse, sed quia non credidit id fieri posse, non adeo exarsit, ut mulier, quæ hoc fieri posse putabat: ideoque magis ambiendo superbivit. Minus ergo vir peccavit quam mulier.

Quod vir minus peccavit quam mulier. — Pro eo etiam intelligitur vir minus peccasse, quia ut ait Aug. (269) : De venia et de pœnitentia cogitavit, et de Dei misericordia : putavit enim utrumque posse fieri, ut, et uxori morem gereret, et per pœnitentiam veniam haberet. Idem quoque videtur ex eo, quod mulier in se, in Deum, et in proximum peccavit. Vir vero tantum in se et in Deum. Ex eo etiam apparet quod gravius mulier punita est, cui dicitur : *In dolores paries filios* (*Gen. III*).

Opponit contra id quod dictum est, virum minus peccasse. — Huic autem contrarius videtur Aug. (269*) loquens de excusantibus peccatum. Ideo enim, inquit, non constitetur Adam peccatum, sed dicit : *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi et comedi* (*ibid.*). Mulier quoque non constitetur, sed in alium referens ait : *Serpens decepit me, et comedi* (*ibid.*) : impari sexu, sed pari fastu peccaverunt, hoc est pari superbia. Pariter ergo peccaverunt. At hæc tria peccata parentum, in negotio nostræ perditionis distinguit. In peccatum transgressionis scilicet, et excusationis, in quibus pro pari scientia, et superbia peccaverunt pariter, et peccatum elationis, in quo pro dispari ambitione, ut dictum est, alter altero plusve minusve peccavit.

(263) Lib. II, cap. 5.

(264) Lib. de Gen. ad litteram, II, c. 30.

(265) Aug. De Gen. ad litteram, loco prius citato.

(266) Lib. II de Gen., c. 42.

(267) Psal. LXVIII, super illum locum. *Quæ non rapui.*

(268) Aug. tract. 16 super Joan. v, *sed et Patrem suum dicebat Deum.*

(269) Super Genes. lib. II, c. 24.

(269*) Super Genes. lib. II, c. 35.

Objicitur etiam, quia cum tribus modis, ut Isidorus ait (270), peccatur; ignorantia scilicet, infirmitate et industria graviusque sit peccare industria quam ignorantia: videtur Adam plus peccasse, eo quod scienter peccavit, nec enim seductus fuit. Mulier autem seducta fuit, ut dictum est, ut per ignorantiam excusanda videatur. Ad quod dicendum est quod ignorantia Evæ excusari non potest, quia scire potuit, sed noluit. Erat enim ratione et scientia prædita, præsertim cum sciret se mandatum contra diaboli suasionem accepisse. Ipsa enim dicit: *Præcepit nobis Deus* (Gen. III). Eis autem aufertur excusatio ignorantiae, ut ait August. (271): Qui mandata Dei noverunt.

De triplici ignorantia. — Denique ignorantia alia est affectata, ut eorum, qui scire possunt et nolunt in quibus est ipsa peccatum. Alia est possessoris ingrata, eorum videlicet, qui scire volunt et non possunt, in quibus est pœna peccati, et non peccatum. Alia est simplex, ut eorum qui simpliciter nesciunt: in quibus etiam peccatum est. Unde Aug. (272): Aliud est nescisse, aliud est scire noluisse, quia in eis, qui intelligere noluerunt, ipsa ignorantia peccatum est. In eis vero qui non potuerunt, pœna peccati. Ignorantia vero eorum, qui tantum simpliciter nesciunt, nullum sic exusat, ut æterno igne non ardeat, sed forsitan ut minus ardeat. Est autem affectata, vincibilis; ingrata invincibilis; simplex vero, partim est vincibilis, et sic ad pœnam imputatur; partim invincibilis, et sic a majori pœna excusat.

DIST. XXIII. Quare non fecit Deus hominem meliorem, ut quærent homines. — Hic quærit aliquis cur fecerit Deus hominem talem, qui seduci possit? In quo noverit ille magnificentius cum homine esse actum. Sic enim factus homo in natura habuit posse, et in potestate velle non consentire suadenti, juvante Deo; et est gloriosius non consentire, quam tentari non posse.

Quæritur etiam cur creavit Deus quos scivit malos esse futuros? Ideo scilicet, quia quid boni de malis eorum facturum esset, prævidit. Sciebat enim eos profuturos bonis, quare non frustra eos creavit.

Cur Deus hominem impeccabilem non creavit. — Quæritur etiam cur non talem fecit Deus hominem, qui nec peccaret? Vel si peccaret, cur non in meliorem statum eum reparavit cum posset? Ad hæc et hujusmodi, quæ curiosius quærit, etiam iners sic responde: Posset revera. Sed cur non fecit? Quia noluit. Cur noluit? Ipse novit. Non quæras, pro eo quod scriptum est: *Non plus sapere quam oportet* (Rom. XII.) Nec enim vas figulo dicit: *Cur me sic fecisti?* (Rom. IX.)

De triplici hominis ante lapsum scientia. Quomodo homo scientiam habuit de Creatore. Quod creaturarum scientiam habuit homo. Sui cognitionem habuit. — Denique fuit homo ante lapsum triplici cognitione præditus, Creatoris scilicet rerum creaturarum,

(270) De summo bono, lib. VI, c. 47.

(271) Ad Valentinianum.

et sui. Creatorem enim noscebat, non tamen sic perfecte, qualiter sancti in futuro, facie revelata cognoscent. Nec in ænigmate, qualiter nunc videmus, sed quadam propinquiori intelligentia, qua Dei præsentiam contemplabatur. Rerum quoque cognitionem habuit, quod patet per hoc, quia cunctis animantibus nomina imposuit, quæ propter illum creata, et ab illo regenda fuerant. Proinde et sui cognitionem habuit, intelligens quid superiori, et æquali, et inferiori deberet. Nec enim reus esset transgressionis, si hoc non novisset.

An homo præsciens fuerit sui casus. — Quod si quæritur, utrum circa se futura prænoverit? Dicimus quod magis ei facienda indicta sunt, quam futura revelata. Non ergo fuit homo præsciens sui casus, sicut et de angelo dicimus.

DIST. XXIV. De gratia hominis et de potentia ante casum. De adjutorio homini in creatione dato quod stare poterat. — Hic sciendum est quod homo creatus fuit in voluntate recta, datumque fuit ei auxilium, quo in ea rectitudine stare posset, non autem mereri salutem, nisi alia sibi gratia daretur, Unde Augustinus (273): Si factus est homo rectus, ut manere in ea rectitudine posset, non tamen sine Dei adjutorio: quod si angelo, vel homini, cum primo facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidisset. Illud autem erat libertas arbitrii, ab omni corruptione immunis, voluntatis etiam rectitudo, omniumque naturalium potentiarum sinceritas et vivacitas. Ad hoc autem quod diximus, hominem per hæc sine alia gratia non posse proficere, objicitur. Per illud auxilium gratiæ creationis, potuit homo manere in bono, potuit ergo resistere malo, quod si fecisset, profectus esset ei, et vitæ meritum. Ad quod dicimus, quia resistere malo tunc demum vitæ meritum est, cum causa subest, quæ nos id facere monet, qualis nunc est corruptio peccati, quæ tunc in homine non erat. Alioquin meritum non est quod in angelis apparet, quibus non fuit stare meritum. Declinare enim a malo, semper vitat pœnam, sed non semper meretur palmam.

DIST. XXV. De libero arbitrio. Quid liberum arbitrium? Quare liberum? Quare arbitrium? — Nunc de libero arbitrio videamus disserentes, ubi sit, et quid sit, et unde dicatur, quorum etiam sit, et ad quæ pertineat. Est autem liberum arbitrium in voluntate et ratione. Est enim facultas voluntatis et rationis, propter voluntatem quæ cogi non potest, liberum dictum: propter rationem vero arbitrium, quæ arbitratur et dijudicat inter bonum et malum. Inde igitur dicitur liberum arbitrium, quod libere et spontanee ducatur, vel ad bonum eligendum, non tamen sine auxilio gratiæ, vel ad malum in quod per se sufficit.

Quod superior descriptio non convenit Deo nec glorificatis. — Porro secundum hæc non videtur in

(272) Ubi supra.

(273) In Ench. c. 107.

Deo esse liberum arbitrium, cum Deus malum eligere non possit. Unde etiam Hieron. ait (274) : Solus Deus est, in quem peccatum cadere non potest, cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt. Similiter, nec in glorificatis, qui male velle non possunt. Unde Aug. (275) : Primum, liberum arbitrium fuit, posse non peccare; novissimum, non posse peccare; medium autem, posse peccare, et posse non peccare.

Quod in Deo sit liberum arbitrium. In glorificatis est liberum arbitrium. Liberius erit arbitrium, quando peccare non poterit. — Sane liberum arbitrium est in Deo. Unde Ambros. (276) super illud : *Dividens singulis prout vult* (I Cor. xii), hoc est pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Ipsa ergo voluntas divina, quæ non necessitate, sed libere omnia facit, prout vult, est in Deo liberum arbitrium. In glorificatis etiam est liberum arbitrium. Unde Aug. (277) : Non carebit homo libero arbitrio, quia sic erit, ut male velle non possit. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato, neque aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia sic beati esse volumus, ut esse miseri, non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Ut igitur tam Deo quam hominibus, et nunc, et in futuro liberum conveniat arbitrium, inde dici videtur quod sine coactione potest eligere, quidquid ratio decrevit eligendum.

Generalis liberi arbitrii descriptio. De quadripartito statu liberi arbitrii. — Hic nota quatuor hominis status in libero arbitrio. Ante peccatum scilicet quando nihil impellebat ad malum, nihil impediabat ad bonum. Post peccatum ante reparationem, ubi premitur a concupiscentia et vincitur. Post reparationem vero ante confirmationem, ubi premitur a concupiscentia propter infirmitatem, sed non vincitur propter gratiam. Post confirmationem vero, ubi nec premetur nec vincetur. Infirmitate penitus consumpta, et gratia consummata, ubi recipiet omnem libertatem.

De triplici libertate. Libertas a necessitate. Libertas a peccato. Libertas a miseria. — Est enim libertas a necessitate, a peccato, a miseria. A necessitate libertas est, qua liberum arbitrium semper liberum est : quippe cum in voluntate sit, quæ cogi non potest. Libertas a peccato est, qua servi justitiæ efficiuntur; unde Apostolus : *Liberati a peccato; servi facti estis justitiæ* (Rom. vi). Libertas a miseria est, de qua dicitur : *Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (Rom. viii). Hanc autem omnem libertatem etiam habuit liberum arbitrium ante peccatum. Corruptum autem per peccatum, retenta prima quæ est naturæ, perdidit sequentes, quæ sunt gratiæ. Liberum enim arbitrium est, ille qui descendens a

A Jerusalem in Jericho vulneratus est in naturalibus, spoliatus in gratuitis bonis (Luc. x). Unde Aug. (278) : Male utens homo libero arbitrio, et se perdidit, et ipsum totum peccati servituti subjugavit.

De inæqualitate libertatis arbitrii. Quod duæ sint libertates. Mala libertas. Bona libertas. — Pater igitur ratione supradicta, liberum arbitrium esse semper, et in singulis; non tamen pariter est liberum in singulis. In malis enim simpliciter est liberum, per eam libertatem, quæ est a necessitate. In redemptis vero liberius est, propter eandem et eam quoque quæ est a peccato : unde in eis liberatum dicitur : in glorificatis vero erit liberrimum, omnimodam habens libertatem ad bona, non ad mala. Quantum ad se igitur, liberum est, non pariter ad bona et mala. Est enim liberius ad malum, quod per se potest, quam ad bonum, quod nisi gratia adjuvante non potest. Hinc ergo patet duas esse libertates liberi arbitrii, malam, scilicet et bonam. Mala igitur et non vera libertas est, cum ratio dissentit a voluntate judicans, quod voluntas appetit non esse faciendum. Bona vero libertas et vera est, ubi ratio voluntati concordat. Cæterum hoc non de pluribus essentialiter, sed de una eademque libertate disserimus. Nec enim eam in hæc duo quæ dicta sunt, nisi per officia geminamus. Velut homo singulariter unus, idemque bonus aliquando est, aliquando vero malus, quasi alius et alius.

Ad quæ pertinet liberum arbitrium. — Nunc sciendum quod liberum arbitrium, nec ad præsentia pertinet, nec ad præterita : quod enim est vel fuit, sic determinatum est, ut non sit in libero arbitrio tunc, quando est vel fuit, ut sit vel non sit, fuerit vel non fuerit. Ad futura igitur tantum pertinet, non tamen ad ea, quæ an proveniant an non, in potestate non habet, sed ea tantum, quæ ut sint, vel non sint, bona malave voluntatis libertate potest eligere.

DIST. XXVI. *Quid sit voluntas. De gratia operante et cooperante.* — Est autem voluntas, animi motus, nullo cogente ad aliquid, non admittendum vel adipiscendum. Ut autem malum non admittat, et bonum adipiscatur, gratia Dei prævenit eam et subsequitur. Unde Apostolus : *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis* (Rom. ix). Quod non ita dicitur, quasi voluntas hominis sola sine Dei misericordia non sufficiat ad bonum. Sic enim e converso dici posset : Non est miserentis Dei solius, sed voluntatis hominis, cum id misericordia Dei sola non impleat. Pro eo ergo dictum est, ut totum Deo tribuatur, qui hominis voluntatem bonam, et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Nolentem enim prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit.

Quod bona voluntas comitatur gratiam. — Constat ergo ex istis voluntatem hominis per se non

(274) In homilia De filio prodigo ad Damasum.

(275) De civitate Dei, lib. xxii, cap. 30.

(276) In lib. De fide, II, cap. 3.

(277) In Ench., cap. 105.

(278) In Ench., cap. 30.

velle efficaciter bonum sine Dei gratia. Hanc autem gratiam sequitur voluntas : gratia enim præcedit nullo vocante merito, dicente Aug. (279) : Gratiam Dei nihil meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici voluntate comitante, non ducente : pedissequa, non prævia.

Quæ sit gratia voluntatem præcedens. — Hæc autem gratia fides Christi est, quæ impetrat, quod lex imperat. Quæ etiam justificat, ut ait Apostolus : *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum (Rom. v)* Præcedit autem, sique liberat a servitute peccati, ut pie vivat in Christo. Unde Aug. (280) : Arbitrium ipsum post ruinam liberandum est a servitute peccati. Nec omnino per seipsum, sed per solam gratiam Dei, quæ in fide Christi posita est, liberatur, ut voluntas ipsa præparetur. Ex his constat voluntatem bonam ex fide esse.

Quod fides ex voluntate videatur procedere. — Videtur tamen fides ex voluntate provenire, pro eo quod ait Apostolus : *Corde creditur ad justitiam (Rom. x)*. Non, inquit Aug. (281), simpliciter ait, creditur, sed corde creditur, quia cætera potest homo nolens, credere non nisi volens. Item super Genes. ubi Laban et Bathuel dixerunt : *Vocemus puellam, et quæramus ejus voluntatem (Gen. xxiv)*; dicit expositor quidam super Gen. (282) : Fides est non necessitatis sed voluntatis. Sed hæc et his similia non pro eo dicuntur, quod fides ex voluntate proveniat, sed quia non venit fides nisi in eum qui vult credere, cujus bonam voluntatem prævenit, non tempore, sed auctoritate et efficacia.

Hæc autem quæstio fortius ingravatur ex verbis August. tractantis illud : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid quasi ex nobis (II Cor. iii)*. Quis, inquit, non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Ex hoc manifeste liquet, quod cogitatio boni, quæ voluntatis est, præcedat fidem, et ita bona voluntas fidem præcedat, non præveniatur, quod prædictis adversari videtur. Ad quod dicimus quod cogitatio boni vel voluntas, utique præcedit fidem, non tamen illa qua recte vivitur, ad quam hoc ordine venit, scilicet, præcedit intellectus boni, sequitur concupiscentia ejusdem, tertio est bona voluntas vel delectatio. Quod Aug. distinguens ibi : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas (Psal. cviii)*. Concupivit desiderare, inquit (283), non desideravit. Videmus enim aliquando ratione, quam utiles sint justificationes Dei, sed non desideramus. Prævolat ergo intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus. Scimus bonum nec delectat agere, et cupimus ut delectet. Ostendit itaque quibus gradibus ad eas veniatur. Primus enim est, ut quam sint utiles, videas.

A Deinde ut earum desiderium concupiscas : postremo ut, proficiente gratia, earum operatio delectet te. Si hoc igitur attendis, tota expirat quæstio. Ut enim pie vivas, prius intelligis bonum; secundo cogitas quod non ex te, sed ex Deo est; tertio operari delectaris, quando jam per fidem et charitatem bona facta est voluntas, qua sola recte vivitur, ipsaque fidei comes est, non prævia. Eadem tamen quædam gratiæ dona præcedit, quæ scilicet iustitiam sequuntur. Unde Aug. (284) : Præcedit bona voluntas hominis, multa dona Dei, sed non omnia. Quæ autem non præcedit, ipsa in eis est, et ipsa juvat, quia nec tempore ab eis præceditur, et eis consentit ad bonum.

B *De triplici genere bonorum.* — Ut autem evidenti, quæ dicta sunt, innotescant, sciendum est quod bonorum, alia sunt maxima, alia minima, alia media. Maxima, quibus recte vivitur et nemo male utitur; minima sunt, sine quibus recte vivi potest; media sunt, sine quibus recte non vivitur, quibus utrisque bene et male utimur. Unde Aug. (285) : Virtutes quibus recte vivitur, magna bona sunt. Species vero corporum, sine quibus recte vivi potest, minima. Potentiæ vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media. Denique virtutibus nemo male utitur : cæteris vero bonis, bene et male uti potest. Porro virtute ideo nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam male utimur. Nemo autem bene vivendo male utitur.

C *In quibus bonis sit liberum arbitrium.* — Cæterum, liberum arbitrium inter bona media est, quia et eo male uti possumus, et illud est, sine quo recte vivere nequimus. Bonus igitur usus ejus, opus virtutis est. Sicubi autem legitur quod bonus usus liberi arbitrii, virtus est, virtus ibi pro ejus opere accipitur.

D *Dist. XXVII. De virtute et ejus merito. Fides non ex homine, sed ex Deo est.* — Virtus igitur est, ut Aug. ait, bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et qua nemo male utitur, quam solus Deus in homine operatur. Ut de justitia Aug. dicit ibi (286) : Feci iudicium et justitiam. Justitia magna virtus est, quam non facit in homine nisi Deus, ideoque cum ait : Feci justitiam, non ipsam virtutem, quam non facit homo, sed opus ejus intelligi voluit. Sic et de cæteris dictum est. Secundum hoc enim, de fide Apost. ait : *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis (Ephes. ii)*. Dei enim donum est, hoc est, fides non vi naturæ vestræ est, quia donum Dei pure est. Hæc gratia operans dicitur, quia voluntatem sanat, et ad bonum præparat et cooperans juvat, quia eam in benefaciendo juvat. De hac etiam merita veniunt. Unde Aug. ad Sixtum presbyte-

(279) August., epistola 106 ad Bonifac.

(280) In Ench., c. 106.

(281) Super Joannem, tract. 26.

(282) Lib. i De prædestinatione sanctorum, c. 2.

(283) Aug. super psalmum cxviii.

(284) In Ench., c. 32.

(285) Lib. i Retract.

(286) Lib. ii De lib. arb., c. 18.

rum (287): Quid est meritum hominis ante gratiam, cum omne bonum nostrum meritum non facit, nisi gratia?

Quomodo bonum meritum in homine constituatur.

— Ex gratia enim et libero arbitrio, meritum pervenit, hoc modo, velut ex fide et libero arbitrio actus vel affectus bonus mentis efficitur, credere scilicet, quod est primum meritum: similiter ex charitate et libero arbitrio diligere, ita de cæteris, per quæ merita et sibi augmentum, et nobis justificationem, et vitam merentur virtutes.

De muneribus virtutum — Hæc tamen merita pro auctoritate principii simili gratiæ dantur. Unde etiam ipsa gratia dicuntur. Unde Aug. (288): Cum coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. Unde vita æterna, quæ meritis redditur, gratia vocatur, quia gratis datur, nec ideo gratis, quia meritis non datur, sed quia per gratiam dantur et ipsa merita quibus dantur.

Aliorum sententia de virtute. Ratio eorum. — Alii tamen dicunt virtutes esse bonos usus naturalium potentiarum, interiores et exteriores, qui per corpus geruntur, opera virtutum, dicentes. Ad hoc autem ideo moventur, quia dicit Aug. (289) super Joannem: Quid est fides? Credere quod non vides. Item (290): charitatem voco motum animi. Ex hoc inquirunt: Si charitas et fides motus animi sunt, virtutes ergo motus animi sunt. Sic enim hæc per causam dicta esse intelligendum est, quod charitas est motus animi, hoc est, virtus qua movetur animus ad diligendum. Item fides est credere quod non vides, id est, gratia qua creditur, quod non videtur. Aliud est autem quod creditur, aliud quo creditur, aliud ipsum credere. Denique si virtus esset motus mentis, jam non ex solo Deo esset, ut superius comprobatur. Verum etiam ex libero arbitrio, ex quo omnis motus mentis esse, ex verbis Aug. ostenditur (291). Animæ, inquit, si libero arbitrio ad faciendum vel non faciendum animi motu carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur earum peccatum tenere non possumus. Non est ergo virtus, motus mentis. Hoc enim si esset, jam non ex virtute liberum arbitrium esset bonum quod verum est, sed ex bono, liberum arbitrium virtus esset, quod falsum est.

DIST. XXVIII. *De hæresi Pelagianorum.* — Postremo subjiciendum est de Pelagiana hæresi, quæ gratiæ adversatur. Hæc ergo omnium recentissima a Pelagio monacho exorta est, quæ gratiæ inimica, sine gratia credit hominem posse facere omnia mandata divina, quam ad hoc dari hominibus dicit, ut quæ facere per liberum arbitrium jubentur, fa-

cilios per eam impleant. Destruit etiam orationes quas Ecclesia facit, vel pro infidelibus ut convertantur, vel pro fidelibus ut perseverent, tradens hoc non a Deo, sed a seipsis habere hominis. Parvulos etiam sine originalis peccati vinculo asserit nasci.

Disputatio Pelagianorum contra August. — Pelagiani ergo hæc dicentes, de verbis Aug. (292) contra ipsum, sic disputabant: Si non potest homo ea facere quæ jubentur, non est ei imputandum ad mortem, ut tu ipse Aug. dicis. Quis, inquit (293), peccat in eo quod cavere non potest? Peccatur autem, cavere igitur potest.

Sed hoc de voluntate se dixisse Aug. ait, ac si diceret: Quis necessitate ad mortem peccat, non voluntate? Voluntas enim est qua peccatur, et recte vivitur, sed nisi Dei gratia liberetur, ea recto vivi non potest (294).

Item: Peccati, inquit, reum teneri quemquam, quia non fecit quod non potuit, summæ insaniam est. Cur ergo parvuli, qui non habent gratiam, sine qua non possunt facere mandata, rei sunt? Sed illud dixerat Aug. specialiter contra Manichæos (295), duas naturas in homine esse dicentes: Unam ex Deo bonam, alteram ex gente tenebrarum malam, adeo quod bonum velle non posset. Quod si esset, non videretur et imputandum, cur non faceret bonum. Denique videtur Aug. huic doctrinæ gratiæ in plerisque adversari. Dicit enim (296): In potestate hominis est mutare voluntatem in melius. Item (297): In potestate nostra est, ut vel inseri bonitate Dei vel excidi ejus severitate mereamur. Item: Nostrum est credere et velle: quod autem bonum operamur Dei est. Sed hæc qualiter intelligamus, ipse aperit his verbis (298): Eadem regula utriusque est volendi et faciendi. Utrumque enim Dei est, quia ipse præparat voluntatem. Et utrumque nostrum est, quia non sit nisi nobis volentibus. Omni igitur perfidia evacuata, id de gratia et libero arbitrio indubitanter teneamus, ut Hieronymus docet (299): Liberum scilicet sic esse arbitrium, ut dicamus nos Dei auxilio semper egere, tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano hominem non posse peccare asserunt. Uterque tollit libertatem arbitrii. Nos vero dicimus hominem semper peccare et non peccare posse. Hæc est fides quam in catholica didicimus Ecclesia.

DIST. XXIX. *An homo ante peccatum egerit gratia operante.* — Post hæc sciendum est hominem ante peccatum etiam operante gratia egere, non ut

(287) Epist. 105.

(288) Ad Six. presbyterum epist. 105.

(289) Tract. 40.

(290) Lib. III De doct. Christ., cap. 10.

(291) In lib. De duabus animabus, cap. 12.

(292) In lib. De lib. arbitrio III can. 18.

(293) Lib. Retr. lib. I c. 9.

(294) Aug. in lib. De duabus animabus, c. 12.

(295) In I lib. Retr., c. 15.

(296) In lib. cont. Adimantum Manichæi disc, c. 26.

(297) Eodem lib. cap. 27.

(298) Aug., lib. Retract. I, c. 23.

(299) In expositione fidei ad Damasum papam, cujus initium: Credimus in Deum.

ea liberaretur a peccato, et ut præpararetur ad bonum efficaciter volendum. Unde Aug. (300): Nec tunc sine gratia ullum meritum esse potuisset, quia et si peccatum in solo erat arbitrio constitutum, non tamen justitiæ habendæ vel retinendæ, sufficiebat liberum arbitrium, nisi divinum præberetur auxilium.

An homo ante lapsum habuerit virtutes. — Item sciendum est quod charitatem et virtutes habuit homo ante peccatum, ut his auctoritatibus probatur. Ait enim Aug. (301): Adam, perdita charitate, malus inventus est. Item: Adam ante peccatum spiritali mente præditus fuit. Item: Adam quando solus erat, non est prævaricatus, quia mens ejus adhærebat Deo (302). Item: Homo ante peccatum beatissimus auram carpebat ætheream (303). Virtutes igitur habuit quas per peccatum perdidit, propter quod de paradiso ejectus est dicente Domino: Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum (Genes. III), quod non ita dicitur, ut viveret in æternum si comedisset, sed modo irati locutus est Dominus de superbo, et est sensus: Cavete vos angeli, ne comedat de ligno vitæ, quo est indignus, de quo si perstritisset, et comederet et viveret in æternum.

De flammeo gladio ante paradysum. — Ne vero possit ad illud accedere, posuit Deus ante paradysum Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem. Quod ita ad litteram potest accipi, quia per ministerium angelorum ignea custodia ibi posita est. Spiritualiter vero intelligi datur, quod nisi per charitatem, quæ est plenitudo scientiæ, temporales pœnas (sic) quæ etiam versatiles sunt, quia, cum tempore veruntur, ad vitam non reditur.

Dist. XXX. Quod omnes eos fecerit peccatum Adæ. — Denique peccante Adam, peccatum similiter et pœna per eum transit in posteros. Unde Apostolus: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, ita et in homines omnes mors pertransiit (Rom. v). Quod Pelagiani male de peccato imitationis dictum esse putaverunt. Nec enim Adam, sed diabolus ejus principem diceret Apostolus, si de eo intellexisset de quo in Sapientia dicitur: Invidia diaboli mors intravit in mundum (Sap. II). Imitantur enim eum qui ex parte ipsius sunt. Non ergo de illo, sed de peccato propagationis, vel originis dicit Apostolus quod per Adam transiit in omnes concupiscibiliter generatos.

Quid peccatum originale. — De quo multi varie senserunt. Quibusdam putantibus illud, nec culpam esse, nec pœnam, sed reatum, vel debitum, vel obnoxietatem, quo jure pœnæ addicimur, pro peccato primi hominis, velut sæculi lege: nonnunquam

(300) In Ench. c. 10.

(301) In quadam homilia super Genes.

(302) Ambr. ad Sabinum.

(303) Ambr. super Psalm.

(304) Habentur hæc verba in glossa super Exod. XIII: Primogenitum, etc.

(305) De natura et gratia.

A exsultant filii pro crimine patris, quod non contraxerunt. Porro et culpam esse et pœnam, his auctoritatibus probatur. Ait Greg. (304): Omnes ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobiscum contraximus. Augustinus quoque ait (305): Peccatum primi hominis non solum ipsum, sed omne genus necavit humanum, quia ex eo damnationem simul et culpam suscepimus. Idem: Nemo nascitur, nisi trahens pœnam et meritum pœnæ, quod est peccatum (305*).

Originale peccatum dicitur fomes peccati, id est, concupiscentia. — Hoc autem non est motus vel actus animæ, vel corporis, sed fomes peccati, qui dicitur concupiscentia, et lex carnis, et membrorum, et languor naturæ, tyrannus quoque qui est in nostris membris. Unde Aug. (306): Est in nobis concupiscentia, quæ non est permittenda regnare. Sicut et ejus desideria, quæ sunt actuales concupiscentiæ, quæ veniunt ex languore naturæ. Languor autem iste est tyrannus, qui movet mala desideria.

Quid per concupiscentiam intelligatur. Quomodo peccatum originale a patribus transeat in filios. Quod propter corruptionem carnis dicitur esse peccatum in carne. — Hæc autem concupiscentia non est ipse actus concupiscendi, sed vitium cum quo nascimur. Unde Augustinus (307): Quæ est concupiscentia in qua nati sumus? Vitium utique est, quod parvulum habilem concupiscere, adultum etiam concupiscentem facit. Non igitur tantum imitando Adam, transgredimur, sed etiam nascimur ex eo peccatores. Unde Aug. (308): Adam præter imitationis exemplum, occulta suæ carnalis concupiscentiæ tabe, in se omnes tabefecit de sua stirpe venturos. Inde Apostolus ait: In quo omnes peccaverunt (Rom. v), hoc est, in quo homine, in quo velut in materia omnes fuerunt, vel in quo, id est, in quo peccato. Unde Apostolus consequenter, per inobedientiam unius hominis multos dicit peccatores constitutos. Quod sic est accipiendum: quia ex actuali inobedientia Adæ, originale peccatum, hoc est, carnalis concupiscentia provenit, ut et in illo esset, et in omnes pertransiret, per traducem utique, quæ carnis est, non animæ, in qua ipsum peccatum habitat per causam corruptionis, non per culpam. Unde Ambrosius (309): Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus, per peccatum corruptum est, ipsaque corruptio in corpore manet, cujus consortio anima maculatur peccato. Per id ergo quod facti causa manet in carne dicitur habitare peccatum in ea. Item, non habitat peccatum in anima, sed in carne. Quia peccati causa ex

(305*) August. super Psal. L: Ecce in iniquitatibus.

(306) De verbis Apostoli, sermone 12.

(307) Lib. VI contra Jul. c. 7.

(308) In lib. I De baptismo parvulorum.

(309) In caput VII ad Rom.

carne est, et non ex anima, quia caro est ex origine carnis peccati. Per traducem enim omnis caro fit peccati causa, non anima (310).

Sed objicitur, si tantum caro ex traduce est non anima, quæ dudum postea infunditur, non videtur peccatum in carne trahi, eo quod non sit peccatum, id quod contractum est, præsertim cum peccatum non possit esse in re irrationali, quod caro est, ante sociatam animam. Sed sciendum quod peccatum in carne, est ante animam sociatam per causam, non per effectum. Nec sequitur: Si non est peccatum, quod in carne tractum est, ergo non est peccatum in carne tractum, quia nec quod in utero conceptum est, homo est, et tamen in utero homo conceptus est. Nec quod in agro satum est, seges est, et tamen in agro seges est.

An causa originalis peccati sit pœna an culpa. — Per causam igitur tantum ibi peccatum est, quæ non est culpa sed pœna, pollutio, scilicet et fœditas, ex ardore coitus contracta. Cujus contagio anima mox infusa fit rea velut liquor ex vasis vitio illico acescit vel mucescit.

Quomodo peccatum transeat per traducem. Per hæc autem jam liquido apparet, quomodo peccatum per traducem transeat. Nec enim ideo, quod caro ex Adam trahitur, peccatores nascimur, sed quia vitiose per libidinem trahitur. Dum sibi invicem vir mulierque miscentur, non sine libidine potest esse eorum concubitus. Ob hoc filiorum ex eis nascentium non potest sine peccato esse conceptus. Ubi peccatum transmittit in parvulos, non propagatio, sed libido, non naturæ fecunditas, sed libidinis fœditas. Ex quibus evidenter innuitur, quare Domini caro peccatrix non fuit, quia alia lege quam rostra ex Adam descendit. Non enim corruptione libidinis, sed virtute Spiritus sancti de virgine concepta est.

DIST. XXXII. Quomodo peccatum originale dicatur voluntarium. — Voluntarium denique est hoc peccatum, quia ex voluntate primi hominis processit. Unde Aug. (310): Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, non absurde vocatur voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est hæreditarium. Est autem necessarium, quia vitari non potest. Unde Propheta: *De necessitatibus meis erue me, Domine (Psal. xxiv).*

Qualis anima munda corpori jungatur. — Sed cum hoc sit, qua justitia, anima a Deo munda creata, illo tenetur? Ideo, inquam, quia ejus vitio corpus corruptum, non quia carni condelectetur, dum infunditur, ut quidam volunt jam enim non originale esset, sed actuale. Unde Aug. (311): Von fuit corruptio corporis, quæ aggravat animam, causa primi peccati, red pœna, nec caro corruptibilis ani-

(310) Idem Ambr. paulo inferius.

(311) In lib. I Retract. c. 15.

(312) Lib. De civit. Dei. xiv, cap. 3.

am fecit peccatricem, sed peccatrix anima carnem corruptibilem fecit.

Utrum anima ante baptismum talis sit qualia creata exstitit? — Quæ animam absque vitio a Deo creatur, nunquam tamen ante baptismum talis est omnino. Protinus enim infusa maculatur, velut pollutas habens manus, nunquam tale habuisti pomum, quale tibi mundis manibus dedi.

Cur innocentem animam nocenti corpori societ Deus. An animæ ex creatione sint æquales in donis naturalibus. — Non tamen est causandus Deus, cur innocentem animam corpori societ, sciens eam exinde maculandam damnandamque, si non regeneretur: hoc enim occultæ suæ justitiæ est.

B Alias præterea animas, aliis excellentiores in naturalibus donis creati, non improbabiler dicitur, cum in angelis ita fuisse constet, quod tamen neque pœnæ neque vitæ meritum est; quia ingenii acumen vel tarditas, præmium vel pœnam in futuro non collocat.

Quomodo remittatur originale peccatum in baptismo, et tamen post maneat concupiscentia. — Hoc autem peccatum in baptismo solvitur quantum ad reatum. Unde Aug. (312): Gratia per baptismum agit, ut corpus peccati destruat, ne concupiscentia in carne respersa, obsit mortuo, quæ inerat nato. Nec tamen penitus in baptismo absumitur: remanet enim post actum in membris, Unde Augustinus (313): Dimittitur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut non impuetur ad peccatum. Quomodo igitur alia peccata pereunt actu, et remanent reatu, ut homicidium et hujusmodi, ita e converso fieri potest ut concupiscentia præcreat reatu, et remaneat actu. Manet enim in vetustate carnis, non ut regnet, sed tanquam superata jaceat, quæ quotidie minuitur in proficientibus et continentibus, usque dum perimitur, nisi illicito consensu reviviscat. Manet etiam, quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles. Quæ igitur ante baptismum erat pœna et culpa, post tantum pœna est.

Quomodo a parentibus mundis proles contrahat originale peccatum. — Hæc autem concupiscentia, licet regeneratis non imputetur, quæcunque tamen proles nascitur, obligatur originali peccato, a parentibus licet mundis tracto. Nec mirum: quomodo enim præputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circumcisi? Quomodo etiam palea, quæ tanta diligentia separatur, in fructu manet, quæ de purgato nascitur tritico: ita peccatum quod in parentibus per baptismum mundatur, in filiis manet quos genuerunt.

DIST. XXXIII. Quod non aliorum parentum, sed Adæ peccatum filiis imputatur. — Postremo sciendum est quod tantum Adæ, non aliorum parentum filiis imputatur peccatum, quod exinde probatur, quia

(312) De baptismo parvulorum lib. I, cap. 39.

(313) De nuptiis et concupisc. lib. I, cap. 25-27.

quibus regenerationis gratia non confertur, sed mox nati moriuntur, mitissima pœna debetur. Ait enim Aug. (314) : Mitissima pœna eorum erit, qui præter originale peccatum nullum aliud superadderunt. Quod si ita est, non igitur peccatis omnium parentum obligatur. Si enim pro illis, et pro suo originali peccato punirentur, non jam minor sed forte major quam eorundem parentum pœna esset. Cui sensui concordat propheta dicens : *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccaverit ipsa morietur* (Ezech. xviii).

His autem contrarium videtur quod in lege Dominus ait : *Ego sum Deus fortis zelotes visitans iniquitates patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem* (Exod. xx). Sane hæc non esse contraria intelligit, quid quod ibidem subditur, diligenter attendit, hoc, scilicet, his qui oderint me. Per quod, ut Hieron. ait (315), evidenter ostenditur, non ideo puniri filios, quia peccarunt patres, sed quia eis similes quodammodo hæreditario malo Deum oderunt. De filiis iniquos patres imitantibus loquitur lex, quos ideo specialiter nominavit, quia maxime filii patres solent imitari, quos præcipue diligunt (316).

Solam etiam tertiam quartamque generationem dixit : Eo quod solent patres interdum vivere donec filios tertios vel quartos generent, qui patrum videntes iniquitatem, impietatis eorum hæredes imitando efficiuntur.

Quod etiam mystice intelligendum esse ostenditur, ex eo quod parabola dicitur in Ezechiele, quod est quod inter vos parabolam veritatis in proverbium? (Ezech. xviii). Pater itaque est ut quidam dicunt, primus punctus cogitationis ; filius vero, conceptio peccati ; consensus scilicet et delectatio mulieris. Nepeus est completio operis vel complendi decretum consensus, scilicet viri, vel patratio peccati ; propeus autem est perseveratio in eo quod fecisti. Omnes autem primos et secundos stimulos cogitationum, quos Græci προπαθειας propatheias vocant, sine quibus nemo esse potest, non æternaliter puniet Deus. Sed si cogitata quis facere decreverit, vel quæ fecit corrigere noluerit, quæ mortalia peccata et tertia et quarta generatio.

Nec movet quod dicitur : *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Psal. l.) ; quasi in pluribus : Ut enim Aug. ait (317) : Plurale ibi pro singulari ponitur, more Scripturæ. Ut ibi : Mortui sunt, qui quærebant animam pueri (Matth. ii, 2), de solo Herode agens, sicut et e converso, singulare ponitur pro plurali. Ut ubi : *Ora ergo Deum ut auferat a nobis serpentem* (Num. xxi), cum non unum, sed plures populus patere-

An actuale peccatum Adæ sit gravius cæteris. —

(314) In Ench. cap. 93.

(315) Hier. super Exod.

(316) Super Ezech. cap. 18.

(317) In Ench. cap. 44.

A Postremo quærendum videtur an peccatum transgressionis Adæ cæteris omnibus gravius fuerit ; quod ex eo videtur, quia totam humanam naturam mutavit, et vitiavit, quod nullum aliud fecit ; et plus omnis alio peccato nocuit. Multiplici enim miseriæ, tandemque utrique morti subdit, quod nullo alio factum est. Ad quod dicimus, quod non est putandum illud peccatum majus fuisse peccato in Spiritum sanctum. Nec enim majus, quia totam naturam nostram corrupit, sed quia ab homine commissum est, quando in eo tota humana natura erat. Nec etiam quia plus nocuit, majus est putandum, quia minora mala plus quandoque nocent, sicut e converso minora bona plus prosunt. Vel apost. dum coarctaretur, e duobus minus eligit bonum, pluribus tamen profuturum. Sicut etiam baptismi sacramentum prodest pluribus quam altaribus, non tamen est majus.

DIST. XXXIV. De peccato actuali secundum ejus causalitatem. — Post prædicta vero de actuali peccato, agamus considerantes, quæ fuit origo peccati, et in qua re sit peccatum, et quid sit peccatum, et quot modis contrahatur. Sciendum quod, quia ante peccatum nulla res fuit nisi bona, bona itaque res, scilicet hominis vel angeli natura, existit origo peccati. Unde Aug. (318) ; Malam voluntatem unde dicis ortam, nisi ex bono? Si enim ex angelo vel homine, quid hæc duo erant, priusquam in eis mala voluntas oriretur, nisi bonum opus Dei, et laudanda natura? Ergo ex bono oritur malum, nec fuit unde posset oriri nisi ex bono.

C *Mala voluntas fuit secundaria causa malorum. In qua re sit malum.* — Cæterum ex mala voluntate tanquam ex arbore mala, fiunt omnia mala, quæ ad nos pertinent, tanquam fructus mali.

Similiter non in alia re, nisi in bona est malum, quod ex Aug. probatur (319). Malum nihil aliud est, quam corruptio vel privatio boni, quæ in bono duntaxat est, hoc est, in natura : quædiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo privetur, ac per hoc si non esset bonum, in qua malum esset, prorsus nec malum esse possit. In quo dialecticorum regula fallit qua dicunt, nulli rei simul inesse duo contraria. Cum enim bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed mala omnino sine bonis, et nisi in bonis esse non possunt. Unde res mira conficitur, ut quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videtur, cum vitiosa natura mala esse dicitur, nisi malum esse quod bonum est. Inde etiam cum dicitur homo malus, quid dicitur nisi bonum malum? Sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Sane hoc dicendo non incidimus in illud propheticum : *Væ, qui bonum malum dicunt* (Isa. viii), vel malum bonum. Illud enim intelligendum est de

(318) Contra Julianum hæreticum lib. i. cap. 3. quod sensum, sed ii lib. De nuptiis et concup. cap. 28.

(319) In ench. cap. 11 et 12.

rebus bonitatis et malitiae, quibus homines boni vel mali sunt. Velut si quis dicat, adulterium bonum vel naturam in quantum natura est, malum esse.

DIST. XXXV. Quid si peccatum. — Peccatum autem est, ut Aug. ait (320), omne dictum vel factum vel concupitum, quod sit contra legem Dei. Idem (321): Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod iustitia vetat: Ambrosius quoque ait (322-323): Quid est peccatum nisi praevaricatio legis divinae, et caelestium inobedientia praeceptorum? Ex quibus manifestum est actum malum interiorum et exteriorum, scilicet malam cogitationem, locutionem et operationem esse peccatum. Praecipue tamen in voluntate peccatum consistit, ex qua tanquam ex arbore mala, opera mala procedunt quasi fructus mali.

DIST. XXXVI. De varietate peccatorum. — Sciendum est, quaedam sic esse peccata, ut sint etiam poenae peccatorum. Unde Aug. (324): Inter primum peccatum apostasiae, et ultimam poenam Gehennae sunt media, quae et peccata sunt et poena peccati. Greg. quoque ait (325): Peccatum quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum et causa peccati est, aut peccatum et poena peccati, aut peccatum simul et causa et poena peccati. Peccatum autem dicitur causa peccati respectu sequentis; poena vero respectu praecedentis peccati. Cum enim peccatum per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, quod non solum peccatum, sed et poena peccati est, quia iuste iudicio Deus cor peccantis obnubilat, ut praecedentis peccati merito, etiam in alia cadat. Unde Joannes: *Qui in sordibus est, sordeseat adhuc* (Apoc. xvii). Per hoc sane videtur, aliquod peccatum, illud scilicet quod est poena peccati, iustum esse. Quia, ut Aug. ait (326), omnis poena peccati, iusta est. Sed notandum quod peccatum dicitur poena et corruptio vel privatio boni, non per essentiam, sed per efficientiam. Vel velut divitiarum dicuntur esse gaudium, non quia sint, sed quia faciunt gaudium. Sic et in Epistola Petri: Passio iniusta dicitur esse gratia, non quia sit, sed quia gratum faciat apud Deum (I Petr. ii): eam dico patienter toleratam. Sic et peccatum, statim ut ab aliquo fit, a Deo separat, et naturalia bona obtenebrat. Quae separatio, vel obtenebratio, est corruptio et poena peccati essentialiter, et haec a Deo est, peccatum vero non. Quod Aug. ita dicit (327): Praescit Deus, sed non praedestinat ea quae non est factururus, hoc est omnia mala, quae etsi sint aliqua peccata simul et poenae secundum illud: *Tradidit illos Deus in passionem ignominiae, etc.* (Rom. i.) Non tamen peccatum Dei est, sed iudicium, id est poena.

(320) Contra Faustum Manichaeum lib. xxii.

(321) De duabus animabus, cap. 27.

(322-323) In lib. De paradiso.

(324) Super illum locum psal. lvi: *Supercecidit ignis.*

(325) Super Ezech. ho. 21, circa illud *sed et si convulsus.*

DIST. XXXVII. Quod Deus non est auctor peccatorum. — Eorum autem omnium Deus auctor non est, quia Deo auctore non fit homo deterior. Malum sane, et culpa dicitur, quam nequaquam facit, et poena quam utique facit. Unde propheta: *Non est malum in civitate quod Deus non faciat* (Amos. iii). De hoc tamen August. dicit (328), quod Deus auctor mali non sit: sed quod hoc dixit, causaliter dixit, inquit enim, hoc idem ita dixi sicut dictum est: *Deus mortem non fecit* (Sap. i), quia non facit illud pro quo mors infligitur, hoc est peccatum.

Quod omnia in quantum sunt, bona sunt. — Sunt tamen qui existimant omnem voluntatem, et actum, a Deo esse, eo quod putant ea, in quantum sunt, bona esse. Ait enim Aug. (329): Omne quod est, in quantum est bonum est. Et alibi: Ille summe est, qui omnino incommutabilis est. Caetera vero quae sunt, nisi ab illo esse non possunt: quae in quantum bona sunt, in quantum acceperunt ut sint. Responsio secundum Aug.: Illa universitas generi rerum attribuenda est. Non enim colligit nisi substantias, et naturas, ut ex ejusdem verbis liquet. Ait enim: Si casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus regitur. Quod si est, ergo aliqua substantia, vel natura est quae ad opus providentiae non pertinet. Ecce nomen universi mundi, naturas vel substantias exponit. Naturas autem intelligit ea, quae naturaliter ipsae substantiae habent, velut intellectum, memoriam, etc.

Porro facile probatur quod malus actus in quantum est, a Deo non est, quia in quantum est, corruptio boni est. Quidquid autem bonum corrumpit, a Deo non est, quia, ut dictum est, nihil fit auctore Deo, quo sit homo deterior: Aliter: Omne quod facit Deus, natura est; actus autem malus, non est natura, sed actus accidens, defectu boni naturam vitians. Item: Opera diaboli quae dicuntur vitia, actus sunt, non res. Item: Actus malus peccatum est: omne autem peccatum iniquitas est, qui actus a Deo non est: iniquitas enim per ipsum facta non est, sed est perversio, quam fecit homo. Item: Actus malus velut invidiae, nec fuit, nec est, nec esse potest bonus a Deo, igitur non est. Iniquitas enim per ipsum facta non est. Item: Si actus malus a Deo non est, qui peccatum est, falsum est, quod sine ipso factus sit. Dum enim committitur, Deus dat ei esse, ergo non sine Deo fit (330).

Quomodo intelligatur peccatum esse nihil. — Cum vero supra diximus peccatum esse ipsum actum, vel voluntatem, quae aliquid sunt: videmur forte ab eo dissentire, quod dicitur, peccatum est nihil. Sed nihil dicitur esse ipsum peccatum, non quia non sit aliquid; sed propter defectum, ad quem ducit

(326) Lib. i Retract., cap. 9.

(327) Lib. i De praedestinatione sanctorum, cap. 10.

(328) In lib. lxxxiii Quaestionum, q. 21, quod in lib. Retract., exponit lib. i, cap. 26.

(329) In Enoch. cap. 14.

(330) Lib. exxxiii, quaest. 3. In enar. psal. lxxviii; super illum versum, *Non est substantia:*

Et quia a vero esse, quod Deus est, abducit. Hoc enim sensu, ipsi homines, quos indubium est aliquid esse, aliquando nihil esse dicuntur. Dicit enim Aug. (331) : Peccatum nihil est, quia nihil fiunt homines dum peccant. Sic et idolum quoque, cum sit aurum, nihil dicitur esse in mundo.

DIST. XXXVIII. *De voluntate et fine ex quo ipsa judicatur.* — Sciendum est autem quod ex suo fine pensatur voluntas. Utrum recta sit, an prava? Denique rectus finis est charitas, sicut Propheta dicit: *Omnis consummationis, vidi finem, lutum mandatum tuum nimis (Psal. cxviii)*. Pravus vero finis contrarius est huic : unde Aug. (332) : Tunc recte fit quod mandat Deus, vel quod consulit, cum ad dilectionem Dei et proximi refertur. Quod vero ita fit, ut ad charitatem non referatur, nondum fit quomodo fieri oportet et tunc recte non fit. Sunt et alia plura, fines voluntatis, quæ omnia ad unum supremum referuntur finem. Ut in hoc exemplo: Volo parare cibum ut pauperem reficiam, hoc fine, ut Deo placeam, et ut vitam æternam habeam, quæ finis est omnium bonorum finium. Finis autem, ut Aug. ait (333), est delectatio, ad quam cura et cogitatione nititur quis pervenire. Intentio autem interdum pro voluntate, interdum pro ejus fine accipitur, quod diligens lector ubicunque occurrerit, studiose discernat.

DIST. XXXIX. — *Quomodo voluntas intelligatur esse mala.* — Notandum autem diligenter est, quod cum voluntas dicitur esse mala vel peccatum, non intelligitur de illa naturali potentia qua volumus, sed de ejus actu, qui est velle. Malus scilicet usus voluntatis, qui de malis nunquam potest esse nisi malus: quod non contingit de actibus aliarum potentiarum. Mali sunt, si contra charitatem sint. Velut memorare vel intelligere malum, non ut caveas, sed ut facias. Ipsa vero naturalis potentia, quæ et in parvulis est, semper bona est, ut de imagine in qua creati sumus, Aug. ait (334) quod etiam inter vitia natura bona est.

DIST. XL. *De operibus quando sint bona vel mala.* — Opera enim secundum finem pensanda dicimus, utrum sint bona vel mala, exceptis quibusdam, quæ sic per se mala sunt, ut ex causa nulla possint esse bona. Quod Aug. ita dicit (335) : Ea quæ sunt, non per se ipsa peccata, nunc sunt bona, nunc mala, cum causas scilicet habuerint bonas, vel malas. Sicut victum præbere pauperi, bonum est, si fit causa misericordiæ, et cum recta fide. Et concubitus conjugalis; si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc rursus mala sunt, si jactantiæ causa pascitur pauper, et si ex lascivia cum uxore concumbitur.

Non tantum quare; sed etiam quid fiat attenden-

(331) Super Joan. cap. 1.

(332) In Ench. cap. 121.

(333) Super illum locum, *Scrutans corda*.

(334) Lib. contra mendacium, cap. 7.

(335) Lib. xv De Trinit., cap. 7.

(336) Aug. habet in lib. contra mendacium,

dum est. — Cum vero opera ipsa per se peccata sunt, ut furta, stupra, blasphemie. Quis dicat causis bonis facienda esse, vel peccata non esse, quasi furtum fiat diviti, ut ex eo detur pauperi : vel falsum testimonium feratur, ut innocens liberetur? Quod enim faciamus, non possit recte fieri, si semel concesserimus in malis actibus, non quid fiat, sed quare fiat esse quærendum, ut quæcunque pro bonis fiant causis, nec ipsa mala esse judicentur (336)?

DIST. XLI. His ergo exceptis quæ per se mala sunt, alia generaliter ex fine judicantur. De quibus dicit Ambrosius (337) : *Affectus tuus finem operi imponit tuo.* Et Augustinus (338) : *Nemo computet opera sua bona ante fidem, quia ubi fides non est, bonum opus non est.* Bonum enim opus intentio facit, intentionem vero fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit intendat.

Sane videtur Augustinus sibi contrarius, qui alibi dicit (339) : *Bonum aliquando non bene fieri ait, nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit.* Ad quod distingue multiplicem hujus nominis, bonum, acceptionem.

Bonum est multipliciter dictum. — Dicitur enim bonum conditione, ut quæcunque facit Deus; et licito, quæcunque mandat vel consulit : et signo, ut Veteris Testamenti sacramenta, et utili, quod cuilibet quocunque modo prodest; et fine, ut quod pro vita æterna sit habenda, quod proprie et vere dicitur bonum. Hoc ergo vocabulo sic distincto, agit nonnunquam quis aliquid, quod recte negatur bonum, uno prædictorum generum, recteque affirmatur alio. Ut si quis offerat sacrificium causa quæstus, quod agit bonum est licito. Non est autem bonum sine, lege scilicet generum est bonum, non privilegio singulorum.

Quod autem frequenter dicitur : *Omne peccatum voluntarium est, et quod non nisi voluntate peccatur.* De mortali et actuali dicitur. Quod ideo verum est, quia nullum tale peccatum absque voluntate fit, vel peccati ipsius, vel saltem ejus, quod est peccatum (340).

DIST. XLII. *An voluntas et ejus opus idem sit.* — Est autem voluntas, ut Aug. ait in 1 libro Retractionum, prima causa peccandi, quæ voluntas cum opere suo idem peccatum est, quia unus contemptus in utroque est. Minor quidem, cum in voluntate solum peccatur; major vero cum voluntati etiam opus additur. Ipsa tamen diversa sunt. Sicut unum mandatum est, diligere Deum, et proximum; ipsa vero diversa sunt. Sicut etiam unum sacramentum sunt sanguis et caro, ipsa tamen diversa sunt. Et unum verbum sunt amo, et amas,

(337) Lib. Offic. II, cap. 30.

(338) Super psal. xxxi.

(339) De Spiritu et lit. lib. XIV, et lib. Sententiar. pros. cap. 272, denique lib. I Confess., c. 12.

(340) Lib. I, De lib. arb., cap. 12; similiter lib. Retract. I, cap. 9.

licet duæ personæ sint. Peccatum autem admissum, si actuale est, transit actu, et remanet reatu, hoc est pœnæ obligatione. Originale vero dimissum transit reatu, et remanet actu (341).

Differentia inter peccatum et delictum. De septem peccatis mortalibus. — Dicitur autem peccatum proprie, ut Augustinus ait, perpetratio mali. Delictum vero desertio boni, quasi derelictio: indifferenter tamen pro se invicem ponuntur.

Nota etiam septem vitia principalia esse, ut Gregorius ait (342), scilicet inanem gloriam, iram, invidiam, tristitiam, avaritiam, gastrimargiam, luxuriam. Quæ, ut ait Chrysost., significata sunt in septem populis, terram promissionis tenentibus, quæ capitalia vel principalia dicuntur: eo quod ex ipsis omnia mala proveniunt, non utique in omnibus sed in singulis (342*). Ex superbia tamen omnia mala dicuntur oriri, unde: *Initium omnis peccati, superbia (Eccle. x)*, quæ est amor propriæ excellentiæ. Similiter et ex cupiditate. Unde Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas (I Tim. vi)*. Quæ sibi adversa videntur, nisi intelligas, quod prædicta universitas non colligit singula peccata in omnibus, sed singula peccata vel diversa in singulis. Sunt enim nonnulli qui ex cupiditate fiunt superbi, et aliqui ex superbia cupidi, per quod patet quod aliquando superbia ex cupiditate, aliquando cupiditas ex superbia nascitur.

DIST. XLIII. De peccato in Spiritum sanctum. Quid obstinatio. Quid desperatio. Quid sit peccatum hoc non remitti. — Est præterea quoddam peccatum cæteris damnabilius, scilicet peccare in Spiritum sanctum; quod, ut veritas dicit, neque hic remittetur, neque in futuro. Hoc autem peccatum committit aliquis, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat fraternitatem, invidiæ facibus agitatus, si tamen in hac scelerata perversitate finierit hanc vitam. Cor enim impœnitens, quandiu quisque hic vivit, judicari non potest. Hoc autem peccatum, ut quidam dicunt, obstinatio est, vel desperatio. Est autem obstinatio, pertinacia mentis indurata in malitia, per quam fit homo impœnitens. Desperatio est, qua quis penitus diffidit de Dei bonitate, putans suam malitiam divinam bonitatem excedere. Sicut Cain. Quod peccatum dicitur non remitti, non quia non sit ignoscendum peccanti, si pœniteat (*Gen. iv*): sed quia tanta labes est illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit. Ideo recte Joannes dicit: *Est peccatum ad mortem (I Joan. v)*, quasi perduratum, non pro eo dico, ut quis oret, quia qui sic peccat, nullis orationibus hic vel in futuro juvari potest. Quod

A autem dicitur: Est peccatum in Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, non sic accipitur, quasi trium personarum offensa dividatur. Sed ibi tria genera peccatorum ostenduntur, non tamen omnium distinguuntur, sed duo remissibilia, et unum irremissibile est. Peccare enim in Patrem cui attribuitur potentia, est peccare per infirmitatem. Peccare autem in Filium, cui attribuitur sapientia, est peccare per ignorantiam, et hæc duo remissibilia sunt. Tertium autem quod irremissibile est, expositum est.

De venialibus peccatis. Quid deleat venialia peccata. — Sunt autem et venialia peccata, scilicet levia, quæ tantum pœnam temporalem merentur. Hæc autem per ignorantiam vel oblivionem, vel subreptionem, vel necessitatem, vel fragilitatem carnis, vel inviti, vel volentes quotidie committimus. De his dicitur: *Instus septies cadet (Prov. xxiv)*, hoc est frequenter peccabit. De levibus enim peccatis hoc ait Salomon, sine quibus hæc vita non ducitur. Quæ propter nimiam charitatem statim commissa dimittuntur. Unde ibidem subditur, et resurget, In minus autem perfectis, levi pœnitentia opus est. Sufficit enim Dominica oratio, et mutua confessio; alioquin post mortem gravantur, sed dimittuntur si bonis actibus in vita promeruit homo ut sibi dimittantur.

DIST. XLIV. Quod potentia peccandi sit a Deo. — Denique sciendum est quod sicut memoria et intelligentia mali a Deo est, ita quoque potentia mali. Unde Aug. (343): Nocendi voluntas potest esse ab hominis animo, potestas autem non nisi a Deo. Ideoque diabolus antequam quidquam tolleret a Job, ait: *Mitte manum (Job ii)* hoc est da potestatem. Quæ omnis, ut Apost. ait, *a Deo est, cui qui resistit, Dei ordinationi resistit (Rom, xiii)*.

An aliquando sit resistendum potestati. Ne autem per hoc videatur, diabolo vel alicui tyranno resistendum non esse, sciendum, quia tunc resistere non debemus, cum potestate non abutuntur. Unde et ibidem dicitur: *Dei ordinationi resistit.* Vir enim justus, si sub rege sacrilego militet, recte illi obedit, si quod jubetur non esse contra præceptum Dei certum est: vel utrum sit, certum non est: quod si potestate quis abutitur, scilicet contra Dei jussum, tunc ei parendum non est. Quod Augustinus per gradus humanarum rerum probat (344). Non enim parendum est procuratori, si contra proconsulem jubet, nec ei si contra principem: nec etiam principi, si contra Deum. Nullus autem peccat, quia potestatem habet, sed quia potestate abutitur.

Finis libri de rerum creatione et hominis lapsu, aliisque eo pertinentibus: qui est sententiarum Bandini secundus.

(341) In quæst. super Leviticum. lib. iii.
(342) Quæst. 20, lib. xxvi, Moralium c. 31.
(342*) Lombardus habet paulo clarius.

(343) Lib. ii, De Gen. ad lit., c. 3.
(344) Sermone 6, De Verbis Domini.